4. 7. 300

Digitized by Google

DUBIA AD SACRAS RUBRICAS ET AD ECCLESIASTICAS FUNCTIONES SPECTANTIA

quibus cum latino tum vernaculo idiomate reſpondit

LUCAS JOSEPH CERRACCHINIUS

S. T. D.

948

PUB. FLORENTINAE BIBLIOTH.

FLORENTIÆ, MDCCXXXVII.

Ex Typographia Franciſci Moücke.

Superioribus permittentibus.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Illuſtriſs. ac Reverendiſs. Domino

DOMINO

FRANCISCO RICCARDIO

Ex Marchionibus Clannis & Rupis Altæ, atque Prothonotario Apoſtolico de numero participantium.

Lucas Joſeph Cerracchinius dedicat, conſecratque.

CUm animo colligam quibus rationibus prudentes Scriptores impellantur ad ſuos labores vi-

ris clariſſimis conſecrandos; tunc cognoſco nullo alio, quam de tuo nomine, Illuſtriſs. ac Reverendiſs. Domine, me poſſe inſcribere hoc munuſculum meum, quod, licet exiguum, tibi offerre non erubeſco. Neve credas mihi obverſari nobilitatem illam, honores, nominis claritatem, omniaque inſignia, quibus ſupra cæteros ab Æterno rerum Opifice in altiſſimo loco collocaris; fateor hæc omnia magna eſſe, & plurimi eſſe facienda, ſed eſt aliquid majus, quod totum tuum eſt, neque a fortuna ullatenus pendet, pro quo tuis pedibus ob-

volutus, ut me humaniter excipias oro, obteſtorque. Mihi ſemper in animo ſcriptum fuit illud effatum Æternæ Sapientiæ: *Maledictus homo qui agit opera Dei negligenter*. Quapropter cum animadverterem quam ad bene divina myſteria peragenda conducat Sacrorum Rituum perfecta cognitio, & quibus interpretationibus Sancti Patres, divinarumque rerum Magiſtri, zelo, & doctrina celeberrimi, Sacros Ritus Clericis commendarent; quandoquidem pro meis viribus hujuſmodi rerum ſtudio longum tempus incubuerim, has meas lucu-

brationes in lucem edere non detrectavi, ut ſi forte utilitatem aliquam legentibus afferre poſſem, hanc illis non inviderem. Quamobrem cum animo colligerem cui potiſſimum hoc opus qualecumque ſit conſecrarem, ut ſplendorem illum, quem per ſe non habet a clariſſimo Mæcenate mutuaret, tu mihi occurriſti Illuſtriſs. ac Reverendiſs. Domine, cui Æternum Numen videtur fuiſſe elargitum omnia fortunæ bona, quibus illuſtres viri a vulgaribus ſegregantur, ut magis eluceſceret religionis amor, & pietas ſingularis, qua Eccleſiaſticum ordinem,

& dignitatem in qua es conſtitutus tantopere præ cæteris decoras, & exornas. Hæc ſola virtus, quâ inter cæteras tuas dotes omnium oculos in te convertis, me perpulit, Illuſtriſs. ac Reverendiſs. Domine, ut ad te confugerem, offerremque hos tenues labores meos, quos ſi humaniter reſpexeris ut aſſoles, non dubito magnum incrementum ſtudio Sacrorum Rituum te eſſe allaturum. Ut igitur me libenter excipias, te etiam atque etiam oro, hoc enim ſignum ſi mihi ad bene ſperandum ſuſtuleris fortaſſe majora aggrediar, quandoquidem

mihi præſidium adeo ſtabile, & firmum columen polliceberis. Dabam

Florentiæ VII. Idus Julii 1737.

INDEX DUBIORUM.

DUBIUM I.

AN in *Miſſa de Feſto duplici ſecundæ claſſis, cantatâ quidem, ſed ſine Miniſtris ſacris, & ut vulgò dicitur,* a ſolo, *facienda ſit commemoratio Feſti ſimplicis ipſa die occurrentis.* pag. 1

DUBIUM II.

Quando in petenda benedictione, vel ante lectionem Evangelii, vel ante lectiones Officii, dicendum ſit, vel Jube Domne, *vel* Jube Domine benedicere. 4

DUBIUM III.

An Sabbato Sancto cantantibus cantoribus Litanias, Chorus reſpondendo, debeat omnino ea omnia repetere uſque ad finem Litaniarum, quæ Cantores ipſi cantavere. 8

DUBIUM IV.

Quando regulariter dici debeat, vel dici poſſit Invitatorium in Agenda mortuorum. 14

DU-

DUBIUM V.

In quibus de Eccleſiaſticis Functionibus neceſſe ſit ab aliquo de Choro dicantur legendo alta voce ea, ad quæ Organa pulſantur; & ad quæ neceſſe ſit attendere ſub præcepto non ſatisfaciendi. 19

DUBIUM VI.

An celebrare Miſſam lectam & privatam, cum a Nobili aliquo Candidato aſſumitur Habitus Illuſtriſſimæ ac Sacræ Militantis Religionis S. Stephani, ſit de jure Parochiali, & per conſequens: an poſſit Dominus Parochialis Eccleſiæ, penes quem reſidet Cura habitualis (invito & reluctante Parocho actuali amovibili, vel quocumque alio ejuſdem Eccleſiæ Miniſtro, Priore nempe mere de titulo) concedere, ut in ſua Eccleſia in tali functione, quilibet Sacerdos ab arbitrium Candidati eligendus, Miſſam celebret, nulli eorum proinde inferendo injuriam. 26

DUBIUM VII.

Concurrentibus ſecundis Veſperis Sancti Protectoris principalis alicujus Diœceſis duplicis primæ claſſis, cum primis Veſperis Sancti Titularis alicujus Eccleſiæ & Patroni Religionis, cui dedicata eſt ipſa Eccleſia, ac per conſequens duplicis primæ claſſis; cujus ex his Veſperæ integræ eſſe debeant, cum commemoratione alterius. 75

DUBIUM VIII.

An concurrentibus primis Veſperis alicujus duplicis ſecunda claſſis cum ſecundis Veſperis SS. Trinitatis ejuſdem ritus, habenda ſit commemoratio ſecundarum Veſperarum Dominicæ primæ poſt Pentecoſten. 80

DUBIUM IX.

Utrum Antiphona Alma Redemptoris Mater *in Eccleſiis in quibus Purificatio B. Mariæ Virginis eſt Titularis, vel celebratur cum octava, vel transfertur, protrahenda ſit uſque ad totam Octavam, aut ad diem translationis Feſti, ſeu potius uſque ad Purificationem incluſive die ſecunda Februarii, eoque die mutanda, & alia Antiphona ſubroganda, nempe* Ave Regina. 90

DUBBIO X.

Se del luogo, che immediatamente rimane ſopra di un Oratorio privato poſſa decentemente ſervirſene il padrone di quello, per tenervi legna da fuoco, o altro a ſuo beneplacito: e ſervirſi per conſeguenza di quel luogo per magazzino o ripoſtiglio. 107

DUBBIO XI.

Se nella conceſſione di celebrare la S. Meſſa negli Oratorj privati ne' giorni più ſo-

lenni, ſenza ſpeciale menzione, vengano compreſi il Giovedì Santo ed il Sabato Santo. 126

DUBBIO XII.

Se nella funzione del Venerdì Santo ſia neceſſaria la purificazione del Calice, o non più toſto ſia ſuperflua. 148

Sacerdotes & Levitæ ingredientur Sanctuarium meum, & ipſi accedant ad Menſam meam ut miniſtrent mihi, & cuſtodiant cæremonias meas.

Ezech. 4. 4.

DU-

DUBIUM I.

An in Miſſa de Feſto duplici ſecundæ claſſis, cantatâ quidem, ſed ſine Miniſtris ſacris, & ut vulgò dicitur, a ſolo, *facienda ſit commemoratio Feſti ſimplicis ipſa die occurrentis.*

Eruditiſſimo viro Joſepho Pogginio Inſignis Collegiatæ S. Andreæ Emporien. Canonico & Sacræ Theologiæ Doctori.

Occaſionem dubitandi præbet Rubrica generalis de Commemorationibus in Miſſali Romano numero VII., quæ ſic ſe habet: *De feſto ſimplici fit commemoratio in Miſſa, quando de eo in Officio facta eſt com-*

memoratio in ipſius Veſperis; quando autem de eo ſit tantum commemoratio ad Laudes, in Miſſa ſolemni non ſit commemoratio de eo, ſed in Miſſis privatis tantum. Quamobrem, ſi tantum in Miſſis privatis de ſimplici occurrenti cum dupli- ci ſecundæ claſſis debet fieri commemoratio, in Miſſa verò ſolemni non debet fieri; argumentum deducunt nonnulli: etiam in Miſſa cantata ſine Miniſtris, de ſimplici prædicto, non faciendam eſſe commemorationem. Quod quidem gratis aſſerunt, nulloque ſuffulti fundamento. Enim vero talis Miſſa, quamvis cantata, ſi ſine Miniſtris ſacris, non eſt utique ſolemnis; ideoque in illa, feſti ſimplicis occurrentis, dubio procul facienda eſt commemoratio ſemper, atque omni remota exceptione in feſtis ſecundæ claſſis. Audiatur quæſo erudiriſſimus Biſſus Hierurgia Tomo II. pag. mihi 91. verbo Miſſa ſolemnis §. 11. *Hinc habes,*

quod

quod Miſſa cantata ſine Miniſtris ſacris, non eſt ſolemnis; quia in ea deeſt id, quod ad ſolemnitatem conducit; quare in hac Miſſa erit facienda commemoratio ſimplicis, ſi feſtum, de quo celebratur Miſſa, ſit ſecundæ claſſis; talis enim commemoratio in duplicibus ſecundæ claſſis omittitur ſolum in Miſſa ſolemni, & Miſſa cantata ſine Miniſtris nec eſt, nec cenſetur ſolemnis; ideoque in illa thus adhibendum non eſt, neque ad thurificationem Altaris, neque ad incenſanda Oblata: & per conſequens, neque ad incenſandum Sacerdotem celebrantem, nec Chorum poſt illum. Hujuſce rei Decretum exhibet Sacra Rituum Congregatio authenticum atque legitimum, quo incenſi uſus in Miſſa cantata a ſolo Sacerdote ſine Miniſtris ſacris, prohibetur.

DUBIUM II.

Quando in petenda benedictione, vel ante lectionem Evangelii, vel ante lectiones Officii, dicendum ſit, vel Jube Domne, *vel* Jube Domine benedicere.

Spectabili viro, amico jucundiſſimo Antonio Cajetano Bellinio Sacerdoti Florentino.

BIſſus Hierurgia littera I verbo *Jube Domine &c.*, pag. mihi 567. Gavantus Part. 2. tit. 6. num. 11. lit. G Bauld. tit. VI. de Epiſtola, Graduali & aliis uſque ad Offertorium Rub. n. 11. Tonellius Enchiridii lib. 2. tit. 6. rubricâ 11. nota 2.: & Miſſale Romanum in ordine Miſſæ de Diacono Evangelium cantaturo, hæc habet. *Petit benedictionem a Sacerdote, dicens: Jube Domne benedicere;* & paulo poſt aliâ Rubricâ. *Si verò Sacerdos ſine Dia-*

cono & Subdiacono celebret, delato libro ad aliud cornu Altaris, inclinatus in medio, junctis manibus dicit: Munda cor meum, ut ſupra, & Jube Domine benedicere; quare dubio procul colligitur, quemcumque Sacerdotem celebrantem dicere debere: *Jube Domine benedicere;* enim vero tunc Deum alloquitur, qui ſolus eſt Dominus: & a Diacono dicendum eſſe: *Jube Domne* ante lectionem Evangelii, ſicut a cæteris aliis in Officio, ſi ſimul recitent, vel in Choro Matutinum perſolvant, dici debere, omni remota exceptione, *Jube Domne,* non *Domine*; quia ab Ebdomadario benedictionem petunt. E contra vero Epiſcopus; quia ab inferioribus benedictionem petere nunquam debet, ſed a ſuo Superiore; nempe a Deo, ſi cantet ultimam lectionem, vel illam legat cum aliis, ſimul cum ipſo divinum Officium recitantibus, dicere debet: *Jube Domine benedicere*; atque tunc

ei reſpondendum ſolummodo : *Amen*. Sic ante ſingulas lectiones dicere deberet in petendo benedictionem quicumque ſolus recitaret Officium: adjecta tamen cuicumque petitioni ſua propria benedictione ; ut in Breviario Romano. Ita nonnulli ſentiunt Authores: & vere, ut ait Gavantus: par eſt ratio Sacerdotis, qui ſic in Miſſa dicere debet; uſus tamen non idem. Diaconus in Miſſa dicet *Jube Domne ;* quia benedictionem petit a Celebrante. Domine enim titulus ſolius Dei eſt, & Domnus titulus præclari hominis; quare in Litaniis Papa dicitur *Domnus Apoſtolicus*. Hinc colligitur, ſingula repetendo, quod quando quis divinum Officium ſolus perſolvit, dicere deberet: *Jube Domine ;* quando vero vel in choro, vel domeſticis in laribus cum alio recitat, dicendum illi eſt : *Jube Domne*. Soliùs enim Epiſcopi eſt, vel in Choro ultimam lectionem

cantantis, vel cum aliis Officium perſolventis, dicere: *Jube Domine*, niſi adſit Legatus Apoſtolicus; quia cum non habeat ſuperiorem, a quo benedictionem expoſcat, a Deo eam petit: & a Choro abſolute reſpondetur, *Amen*. Ita ex Cæremoniali Epiſcoporum lib. 2. cap. 5., quod ſervandum eſt ab eo in privata Officii recitatione, ſi cum alio illud perſolvat. Cæteri vero Epiſcopo inferiores, dicere debent: *Jube Domne*; quibus alter in Choro, nempe Hebdomadarius, reſpondebit congrua benedictionis verba. Sic Tonellius prælaudatus: ſic praxis, quæ ſervari poteſt etiam in privata Officii recitatione, ſecundum communem uſum, cui libenter ſubſcribo, doctrinam aliis reſervans; non reiciendo nihilominus opinionem eorum, qui in privata Officii recitatione volunt dicatur non *Jube Domne*, ſed *Jube Domine*, tamquam a Deo peterent benedictionem illi qui ſoli perſolverent Officium.

DUBIUM III.

An Sabbato Sancto cantantibus Cantoribus Litanias, Chorus reſpondendo, debeat omnino ea omnia repetere uſque ad finem Litaniarum, quæ Cantores ipſi cantavere.

Adm. Rev. Antonio Baldio, Nepoti dilectiſſimo, Sacerdoti Venerando.

SAbbato Sancto ad Litanias Sanctorum invaluit error, illud idem repetendi, quod a Cantoribus dicitur uſque ad illum verſum: *Omnes Sancti & Sanctæ Dei* incluſivè; deinceps verò Cantores dicunt verſum: *Propitius eſto*: & Chorus reſpondet: *Parce nobis Domine*: & ſic etiam de cæteris Supplicationibus & Petitionibus uſque ad finem Litaniarum. Hoc tamen eſſe contra Rubricam videbitur breviter: & omnia adamuſſim quæ a Cantoribus dicuntur,

eſſe

eſſe a Choro repetenda certo certius demonſtrabimus. Legatur Rubrica Miſſalis Romani in Sabbato Sancto poſt benedictionem Fontium, quæ ſic ſe habet: *Cantantur Litaniæ in medio Chori a duobus Cantoribus, utroque Choro idem ſimul reſpondente.* Bernardus Biſſus Hierurgia Tomo II. verbo Sabbatum Sanctum §. XIII. hæc habet: *duo Cantores incipiunt cantare Litanias, & Chorus reſpondet illud idem, quod Cantores dixerunt, ut ſic Litaniæ dicantur ritu dupli-ci.* Sic Gavantus part. IV. tit. X. num. 30.: ſic Michael Bauldry art. V. de Litaniis, Miſſa ſolemni & Veſperis Sabbati Sancti num. 11., ubi ſic legitur: *Interim duo Cantores in medio Chori genuflexi Litanias ex libro ante ipſos poſito, cottis induti proſequuntur; cæteris de Choro genuflexis in locis ſuis reſpondentibus ea omnia, quæ dicuntur a Choriſtis ſive Cantoribus.* His arridet Cæremoniale Epi-

ſcoporum libro 2. de Sabbato Sancto, Epiſcopo celebrante Cap. 27. prope finem: *aliquis ex Subdiaconis genuflexus ſuper ſcabello verſus cornu Epiſtolæ retro Epiſcopum, habens ante ſe librum, incboabit, Litanias, reſpondente Choro, & repetente omnia, quæ ipſe Subdiaconus dicet*. Ita quidem eſſet agendum reſpondendo ad omnia, quæ a Cantoribus intonantur. Verum in omnibus ſane Eccleſiis, ut ſuperius dictum eſt, duplicantur Litaniæ uſque ad verſum: *Omnes Sancti & Sanctæ Dei intercedite pro nobis* incluſivè, & ſtatim ac incipiunt Precationes: *Propitius eſto*; intonantur hæ a Cantoribus, ſicut & cæteræ aliæ, quæ ſubſequuntur, & ab aliis de Choro ipſis reſpondetur: *Parce nobis*: *Exaudi nos*: & ſic de aliis uſque ad finem; hoc autem ſine rationabili cauſa. In pleriſque hiſce Eccleſiis: paucitas Sacerdotum in Choro remanentium, vel Clericorum, cum ſatis

non

non ſit, ut duplicarentur Petitiones illæ ſine notabili aliqua confuſione, poſſet pro ſufficienti motivo adduci; quamvis contra expreſſam Authorum omnium opinionem; contra Cæremonialis Epiſcoporum & Miſſalis Rubricam, Solis luce clariorem, admitti futilis hæc excuſatio nequeat. In aliis vero ſive Collegiatis, ſive Cleri abundantioris Eccleſiis, in quibus copioſa intereſt functioni hujuſmodi Clericorum, Sacerdotumque multitudo: ſi in totum non duplicentur a Choro Litaniæ, quam excuſationem profecto afferent violationis Rubricæ ſuperius notatæ, præceptivæ & univerſalis? Circuivi hoc anno Sabbato Sancto Civitatem, variaſque ingreſſus ſum Eccleſias. Tantummodo apud Reverendos Patres Caſſinenſes & Carmelitas Excalceatos audire mihi contigit Litanias uſque ad *Agnus Dei* duplicatas. Cæteri vero Eccleſiarum, quas adivi Miniſtri,

ſicut & ego in quadam Eccleſia ſecuti abuſum, uſque ad verſum *Omnes Sancti &c.* eas duplicabant; & hic error communis eſt. Idcirco Litaniæ cantandæ Sabbato Sancto, & in vigilia Pentecoſtes Litaniis communibus breviores ſunt, cum demptæ ſint illis viginti & ſex Invocationes Sanctorum, & tres ſupra decem Deprecationes; ut ſic compenſaretur repetitio, & tædio non afficerentur Neophiti de recenti ſacris Undis regenerati; & aſſignatis inſuper Sabbatis illis Deprecationibus brevioribus, ut omnis confuſionis occaſio tolleretur. Cæterum omnino repetendas eſſe uſque ad ultimum, Rubrica tum Miſſalis cum Cæremonialis expreſſe, dubioque procul docet, ut dictum eſt ſuperius. Illud tamen, quod valde obſervandum occurrit, ni fallor, eſt; Notandum illud quod in meo Libello, cui titulus *Directorium*, cap. III. pag. 27. de Dominica Palmarum

appoſui : ne quidem unum ex illis verſibus *Gloria* , *Laus &c.* ex Bauldry eſſe omittendum *ad expediendam functionem* ; quatenus ſi omnes dicerentur paululum longiorem reddebant functionem, non contra, ſed in favorem Rubricæ, volentis quod omnes vel pars illorum cantaretur : adverſum me murmur excitaſſe apud nonnullos, qui quaſi veſtimenta depoſuere, ut me lapidarent. Hic vero ubi expreſſe contra Rubricam agitur, duplicatas omnino volentem Litanias ; quoniam eas duplicando protraheremus functionem : brevitatis gratiâ, nemo loquitur, unuſquiſque errori blanditur, nemo conqueritur ; ſicque Rubrica præceptiva contemnitur. Væ tandem mihi, iterumque væ, ſi qua in Eccleſia robori ſuo per me reſtitueretur antiqua Eccleſiæ diſciplina duplicandarum omnino Litaniarum uſque ad finem. Invaluit error, qui quaſi communis, habetur

nunc

nunc pro uſu; ni potius vera credatur Rubrica, quando errorem redolet. At unde remedium? unde tali errori temporibus hiſce communi, ſalus? Volui iterum atque iterum hunc ab Eccleſia quadam eliminare abuſum; timui vero morderi a canibus.

DUBIUM IV.

Quando regulariter dici debeat, vel dici poſſit Invitatorium in Agenda mortuorum.

Admodum Reverendo Franciſco Falla Sacerdoti Maceratenſis Diœceſis.

Quamquam Breviarium Romanum in Officio Mortuorum hæc habeat: *Hoc Invitatorium dicitur tantum in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, & in die depoſitionis Defuncti, quibus diebus*

bus dicuntur tres infraſcripti Nocturni, & Antiphonæ duplicantur; aliis temporibus dicitur tantum unum Nocturnum cum Laudibus hoc ordine: Feria II. & V. primum Nocturnum: Feria III. & VI. ſecundum Nocturnum: Feria IV. & Sabbato tertium Nocturnum. Quare exceptis diebus illis a Rubrica enunciatis, locum in Officio non haberet Invitatorium. Nihilominus tamen Bartholomæus Gavantus *de Officio Defunctorum Sect. IX. Cap. II. num.* 12. inhærens Rituali Romano, Invitatorium extendit ad diem Obitus & Depoſitionis; etiam ſi unicum dicatur Nocturnum cum Laudibus. *Invitatorium dicitur, ut in propria Rubrica; nempe in die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum, & in die Depoſitionis, ſeu Obitus defuncti; etiamſi unum tantum dicatur Nocturnum cum Laudibus, ut habetur in Rituali Romano.* Ita adamuſſim prælaudatus Gavantus,

tus: & Rituale Romanum hæc habet cap. de exequiis: *Si verò ob rationabilem cauſam; videlicet ob temporis anguſtiam, vel aliorum funerum inſtantèm neceſſitatem, prædictum Officium Mortuorum cum tribus Nocturnis & Laudibus dici non poſſit: depoſito in Eccleſia feretro cum corpore, dicatur primum Nocturnum cum Laudibus; maxime ubi viget ejuſmodi conſuetudo, incipiendo ab Invitatorio: Regem cui omnia vivunt.* Laudatiſſimus, ſemperque laudandus Gavantus præter diem Depoſitionis Defuncti Invitatorium ipſum ulterius extendit ad diem tertium, ſeptimum, trigeſimum & Anniverſarium; etiamſi unum dicatur Nocturnum, & quandoque tres dicantur Nocturni; ſic Durandus etiam libro 5. cap. 3. *Itemque in die depoſitionis, tertio, ſeptimo, trigeſimo, Anniverſario, & regulariter quando ſolemnius tres Nocturni dicuntur; quia ad officium invitandi ſunt plures.* Ex

Ex dictis infertur ; quod ſi dicendo adhuc unicum Nocturnum in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum & in die Obitus ſeu Depoſitionis , ex Gavanto ſuperius citato dicendum ſit Invitatorium ; debeat per conſequens illud dici etiam die tertio, ſeptimo, trigeſimo, & Anniverſario ; enim vero omnes illi dies pro Defunctis ſunt eodem modo & pari gradu privilegiati . Quibus ſuppoſitis, ſi diebus illis dicendum ſit Invitatorium ; quare non erit potius dicendum cum primo , quam cum ſecundo, vel tertio Nocturno, cum quibus minus cohæret , quam cum primo ? Melius igitur cenſerem diebus hiſce privilegiatis, Invitatorium dicere cum primo Nocturno & Laudibus, quam cum ſecundo & tertio, cum quibus minus habet analogiæ & coherentiæ . Confiteor tamen veritatem ; id eſſet recedere a Rubrica generali, aſſignante die-

diebus quibuſcumque in Hebdomada Nocturnos feriales mortuorum. Sed reſpondetur; Rubricam illam reſpicere tantummodo officia menſualia, non verò dies privilegiatos; & eò magis: quia Rubricæ Miſſarum & Officiorum pro Defunctis ſunt ad libitum, & ſequuntur magis laudabiles Eccleſiarum conſuetudines, quam propriam vim. Ita ſanè obſervatur in hac Inſigni Metropolitana Florentina illis ſupradictis diebus tertio, ſeptimo, trigeſimo & Anniverſario, quibus ſemper dicitur Invitatorium cum primo Nocturno, quocumque die prædicti illi dies: tertius nempe, ſeptimus, trigeſimus & Anniverſarius occurrant: & ita tenendum cenſeo; ſalvo ſemper meliori judicio &c.

DU-

DUBIUM V.

In quibus de Eccleſiaſticis Functionibus neceſſe ſit ab aliquo de Choro dicantur legendo alta voce ea, ad quæ Organa pulſantur; & ad quæ neceſſe ſit attendere ſub præcepto non ſatisfaciendi.

Excellentiſſimo ac Admodum Reverendo viro Benedicto Bulleri Sacerdoti Piſcienſi S. T. Doctori.

DUbio procul eſt; Organa inſtrumenta muſicalia, in Eccleſia, ad minuendum laborem cantus in Choro, non ad dimidiandum divinum Officium locum habere; idcirco divino Officio intereſſentes, etiamſi in verbis non teneantur ea dicere, videlicet verſus Pſalmorum, Antiphonas poſt Pſalmos: ſtrophemque Hymnorum: Reſponſoria Lectionum, ad quæ pulſantur Organa; ut cum Ceccoperio Theologi omnes docent,

cent ; tenentur nihilominus [tenentur inquam] ut divino ſatisfaciant Officio attendere ad id , quod cum Organo dicunt Cantores vel Clerici illi , qui Verſiculos eorundem Pſalmorum , Antiphonas & Strophes Hymnorum alta voce legunt ; enim vero hæc omnia pars ſunt divini Officii , ad quæ non attendere , illud dimidiaretur : idque faciendo non ſatisfacerent etiam ſi intereſſent in Choro , divinis Officiis , quibus rite atque totaliter perſolvendis , comoditatique choralium proſpiciendo locum habuit in Eccleſia cum ſonitu Organorum uſus eorum , qui prædictos Verſiculos , Antiphonas ac Strophes Hymnorum legerent alta voce & intelligibili . En profertur authoritas Bauldry Cap. 8. de Organiſtæ & muſicorum officio num. XI. *Notandum eſt autem , quod quandocumque per Organum verſiculis Hymnorum , aut Canticorum reſpondetur , ſemper idem proſe-*

ferendum eſſe ab aliquo de Choro intelligibili voce ; niſi ſit aliquis , qui cantet cum eo ; quod videtur intelligendum tantum de Officio canonico , non de Miſſa , aut aliis hujuſmodi. Sic Ceccoperius in Lucub. Canon. docet ; quare in Officio divino dum pulſantur Organa, ab aliquo de Choro idem dicendum eſt, ad quod Organa ſonant. *Quando per Organum reſpondetur verſiculis Hymnorum aut Canticorum, aut Antiphonis poſt Pſalmos, ab aliquo de Choro voce alta idem proferendum eſt, & hoc de Officio canonico tantum intelligendum eſt, ut Canonici ſatisfaciant præcepto de divino Officio integrè recitando*. In Miſſa autem, & multo minus in cæteris omnibus functionibus ſacris, quæ non ſint Officium divinum, nunquam fuit, nec viget obbligatio dicendi ab aliquo in verbis verſum, ad quem pulſantur Organa ; enim vero non ſunt ut Officium divinum, quod

exigat

exigat ad ſatisfaciendum, vel recitationem, vel attentionem. *Id vero, neque de Miſſa & de aliis hujuſmodi intelligendum eſt, quia de iſtis in Choro non requiritur ſatisfactio:* ait Ceccoperius loco ſuperius citato. Sic communiter fit ab omnibus Eccleſiis Florentinæ aliarumque Diœceſum, in quibus ad Hymnum *Pange lingua* in expoſitione ac depoſitione SS. Sacramenti raro fit, quod a Cantoribus, vel a duobus Clericis in verbis alta voce dicatur Strophes illa, ad quam pulſantur Organa. Hoc idem fit in Veſtimentis Monialium ad Hymnos: *Veni Creator*, & *Te Deum*, ad quos non ſumus criminandi erroris ſi deſit, qui verſiculum vel ſtrophem dicat dum pulſantur Organa; enim verò functiones illæ non requirunt ad ſatisfaciendum ſub pœna non ſatisfeciſſe actualem attentionem; ſed ſufficit tali functioni intereſſe. Ad majorem veritatis dilucidationem

nem, Ceccoperii doctrinam, in medium profero in Biblioteſſera Lucubrationum Canonicalium lib. II. num. 115., ubi ſic lego: *quandocumque Organum fictè canit in Hymnis, Canticis &c., juxta Cæremoniale, vel etiam in Pſalmis juxta præſcriptam Eccleſiæ conſuetudinem, alternatim cum Choro: Canonici ibi exiſtentes debent aliquem deputare, qui ibidem diſtinctè, & altè pronunciet, quæ ab Organo cantari figurantur, vel ea quivis de Choro ſuppreſſa voce dicat, quod non eſt intelligendum de Miſſa, & multo minus de aliis extra divinum Officium.* Sic Bonac. de Hor. canon. quæſt. 1. Puncto III. num. 4. *infertur, eam partem divini Officii, quæ per Organum dicitur, ore non proferri, nec orationem vocalem eſſe, nec per ſimplicem inſtrumentorum ſonum præcepto divini Officii recitandi ſatisfieri; ideo uſu receptum eſt in Eccleſiis, ut verſus divini Officii, qui per Organum de-*

can-

cantantur, ab aliquo Canonico diſtinctè pronuncientur, ut ab aliis aſſiſtentibus audiantur, & percipiantur: niſi forte cum Organo muſici cantent, quo caſu ſatis eſt attente audire, ut bene notat Suarez num. 7. de Horis canonicis. Trullen. in Decal. lib. 1. cap. 7. d. 16. num. 31. Bonacc. l. c. lib. 2. cap. 28. num. 12. Caſtropal. de Horis canonicis diſt. 3. punct. 4. num. 7. Multique alii, quos brevitatis gratia omittimus; qui omnes cum de Horis canonicis, divinoque Officio perſolvendo loquantur, remanet per conſequens verum & indubitabile, neque ad Miſſam, multoque minus ad alias eccleſiaſticas functiones, quæ Officium divinum non ſint, neque neceſſe eſſe, ut ab aliquo pronuncientur alta voce, quæ ab Organo decantantur, neque attendendum eſſe ſub pœna peccati, & obbligatione reſtitutionis ad ea, quæ Organa decantant: neque eo minus neceſſe eſſe, ut

ea

ea a quovis, qui tali functioni interſit ſubmiſſa voce recitentur. In Miſſa tamen ſolemni non improbatur; verum etiam laudatur uſus Clericorum, verſiculos & alia de Miſſa dicentium, dum Organa pulſantur; quo fit, ut facilius cæteri de Choro: præſertim vero Cantores ſciant quid poſt pulſationem Organorum, iiſque ſilentibus, dicendum ſit, in quo facilius errare poſſent, ſi verſiculorum Clerici non deputarentur, qui ea omnia, alta & intelligibili voce dicerent, ad quæ pulſantur Organa; ex quibus non inde ſequitur, quod a Rubrica & a recta diſciplina in Choro & in pſallendo neceſſaria deficerent, qui in Miſſa, & multo magis in aliis functionibus, illis verſiculorum Clericis vel Cantoribus non uterentur; ſic reſpondendum cenſuit, ſalvo ſemper meliori judicio, Joſepho Mariæ Cantinio, Lucas Joſeph Cerracchinius.

DUBIUM VI.

An celebrare Miſſam lectam & privatam, cum a Nobili aliquo Candidato aſſumitur Habitus Illuſtriſſimæ ac Sacræ Militantis Religionis S. Stephani, ſit de jure Parochiali, & per conſequens: an poſſit Dominus Parochialis Eccleſiæ, penes quem reſidet Cura habitualis (invito & reluctante Parocho actuali amovibili, vel quocumque alio ejuſdem Eccleſiæ Miniſtro, Priore nempe mere de titulo) concedere, ut in ſua Eccleſia in tali functione, quilibet Sacerdos ad arbitrium Candidati eligendus, Miſſam celebret, nulli eorum proinde inferendo injuriam.

Pro Illuſtriſs. Domino F. C. Illuſtriſs. ac Sacræ Militantis S. Stephani Papæ & Martyris Religionis Equite,

Facti ſpecies.

IN quadam Eccleſia Sanctimonialium A. Diœceſis cum Cura animarum adeſt Curatus, ſeu Parochus amovibilis ad nutum Abbatiſſæ, penes quam reſidet

Cura

Cura habitualis : & adeſt ſimul Procurator Monaſterii , vocatus de puro nomine *Prior* . Conceſſit Abbatiſſa Monaſterii Illuſtriſſimo Domino F. C. ſuam Eccleſiam pro functione ſuſcipiendi Habitum Sacræ Religionis Militantis S. Stephani Papæ & Martyris , quem de facto in ipſa Eccleſia Candidatus prædictus ſuſcepit ; celebratâ Miſsâ a Sacerdote a ſemet electo . Reclamavit non Parochus actualis , ſed Procurator prædictarum Monialium , & conqueritur adhuc , ſuam violatam fuiſſe jurisdictionem , ſibique ſummam inflictam fuiſſe injuriam. An juſtè , nec ne conqueratur ille , ſumma quæſtionis eſt.

A reſolutione primi dubii , quod proponitur tanquam verum legitimum conſequens , & per veram illationem deducitur ; quod probatâ non Juris Parochialis ſupradictâ Miſsâ , non poſſint eam , ſibi arrogare celebrandam , nec Paro-

chi ipſi , nec à fortiori cæteri omnes, qui verè Parochi non ſint ; etiamſi quocumque eſſent ſpecioſo condecorati titulo in eadem Eccleſia ; nempe Prioris, vel alterius, qui ſi ſine Cura animarum & juriſdictione , ſemper minoris auctoritatis eſt in ea Eccleſia , titulo Parochiali , ac per conſequens liberum remanet Parocho habituali Eccleſiam ſuam commodare & Miſſam concedere celebrandam Sacerdoti a Candidato electo ; etiam reluctante Parocho actuali , ſive quocumque alio ejuſdem Eccleſiæ Miniſtro.

Ad clariorem tamen reſponſionis , atque ſolutionis intelligentiam ſupponendum eſt ; nempe , duplicis ſpeciei eſſe Parochos ; alios amovibiles ad nutum alios verò permanentes & perpetuos cum expeditione Bullarum ſeu cum contractu *de non removendo* ab Eccleſia , cujus ſunt Parochi , vulgo: *Vicarj perpetui*. Simili modo

do, duplicis naturæ eſt Parochialitas : alia nempe habitualis, actualis altera. Clarius tamen hæc omnia. Sunt in omnibus fermè Diœceſibus nonnullæ; immo multæ Parochiales Eccleſiæ, quarum abſoluti, directi & independentes Domini ſunt, vel Capitulum aliquod Collegiatæ Eccleſiæ, vel Superior Regularis alicujus Conventus, ſeu etiam Sanctimonialium Monaſteria, quorum penes Abbatiſſam ſeu Prioriſſam integrum, inviolatum ac independens reſidet jus: Parochum amovibilem eligendi ad Curæ exterioris exercitium, ab Ordinario loci tantummodo approbandum: & ſic Monaſterium, Parochum amovibilem decenti ſtipendio fovet, & Eccleſiæ Parochialis prædictæ, omnia & quæcumque ſacra utenſilia, vaſa & paramenta, propriis ſumptibus providet.

Talium prælaudatarum Eccleſiarum, luce Solis clarius eſt, ha-

bitualem Curam penes Abbatiſſam, ejuſdemque Monaſterii Prioriſſam totaliter ac libere reſidere: actualem verò Curam, illius videlicet exercitium penes illum Parochum amovibilem ad nutum, cui Abbatiſſa per electionem eam tradiderit: ſuppoſitâ inſuper proprii Ordinarii approbatione: non expoliando, tamen nihilominus, neque ſe ipſam privando, integro dominio ſuper Eccleſiam, neque independenti ſemet privando authoritate, Eccleſiam materialem concedendi pro eccleſiaſticis functionibus, cui ſibi magis libuerit; abſque eo quod a Parocho amovibili in tali conceſſione dependere debeat; dummodo ad ſummum, functiones illæ faciendæ non ſint, [ut ſupponitur] aut de merè Parochialibus, aut jurium Parochialium offenſivæ.

Remanente ergo hujuſmodi authoritate, integra, inviolata, atque ab omni reſtrictione aliena, etiam

etiam actuali Parocho relučtante penes Abbatiſſam Monaſterii, utpote quia, penes illam eſt ſtabilis, & permanens habitualis Cura, quæ in independenti dominio Eccleſiæ, & in libera ſuperintendentia ſupra Parochum actualem conſiſtit, qui tantummodo curæ illius Miniſterium & exercitium habet, Abbatiſſa verò jus eum eligendi, rationem villicationis ejus exigendi, & in caſibus a Cura prædicta removendi: poterit per conſequens illa de plenitudine poteſtatis, independenter & libere, etiam Parocho actuali reluctante, concedere, dare & commodare, cui ſibi magis placuerit propriam Eccleſiam pro afferta ſuperius functione ac Miſſa a quocumque Sacerdote celebranda; nec poterit quis juſto titulo conqueri: juſto titulo reclamare, nec eam quis impedire. Non Confeſſarius quidem Monialium; Confeſſarii enim hujuſmodi non ſunt Parochi, niſi intra

Clauſuram, nec tales ſunt in Eccleſia exteriori, niſi quo ad illas functiones, quæ ſunt propriæ Monaſterii, & quo ad id, quod ſpirituale reſpicit Sanctimonialium ſervitium. Quamobrem in Eccleſia earundem exteriori, abſque licentia Parochi, in finibus cujus Parœciæ ſitum eſt Monaſterium, publicè Sacramentales Confeſſiones audire nequeunt, ac jus neque minimum Parochiale ſibi arrogare valent, ſub pœnis a ſacris legibus inflictis. Inſuper Officium peragere non poſſunt juxta cadavera eorum defunctorum, qui in Eccleſia Monaſterii, cui ſunt a Confeſſionibus, ſepulturam eccleſiaſticam elegiſſent; ſpectat enim hoc ad Parochum localem prælaudatæ Parœciæ, in cujus finibus Monaſterium ſitum eſt, ut patet, & nos deciſum habemus in Synodo Florentina anno milleſimo ſeptingenteſimo decimo, habita ab Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo Thoma

Bo-

Bonaventura ex Comitibus della Gherardeſca immortalis memoriæ Præſule meritiſſimo Tit. III. Cap. XIV. de Funeribus num. 22., ubi ſic lego: *In Eccleſiis Monialium non Parochialium, ſi prævia noſtra facultate quiſpiam ſit tumulandus, vel in Confraternitatibus, vel Oratoriis; Officium juxta Cadaver ex Romani Ritualis (ſi res & occaſio ferat) reſcripto, peragat Parochus, intra cujus fines Oratorium, Monaſterium vel Confraternitas ſiſtitur, non vero Monialium Confeſſarius, vel Confraternitatis Corrector, vel Capellanus, aut Oratorii Cuſtos ſeu Rector*. Hi enim omnes non ſunt Parochi; ac per conſequens Parochialem alterius Parochi functionem abſque ſpeciali delegatione peragere non poſſunt. Addito etiam Confeſſarios Monialium ad ſummum eſſe Parochos de puro nomine, extrinſecæ denominationis, reſtrictivè, reſpectivè & taxativè, quo ad ipſas Moniales

tantum, & earum propriè reſpectivè functiones: & uno verbo, ut omnia ſimul expediam: ſunt Parochi impropriè & triennales. Nec valet ea, quam afferunt hi rationem: demandatam nempe ſibi eſſe a loci Ordinario cuſtodiam Eccleſiæ Monialium, quibus ſunt a Confeſſionibus; enim vero reſpondetur: demandatam quidem illis eſſe cuſtodiam Eccleſiæ Monialium prædictarum in his, quæ cultum Dei particularem, ſuæque Eccleſiæ reſpiciunt; non vero in his, quæ ad cultum Dei generalem ſpectant; cujuſmodi eſt Miſſa in ſupradicta functione celebranda.

Si ergo Monialium Confeſſarii juſto titulo reclamare non poſſunt; ne quidem a fortiori reclamare, ac conqueri poterunt Procuratores Monialium in earum Parochiali Eccleſia; enim vero illorum non intereſt, ratione officii, quo funguntur res Eccleſiæ

tractare, & quæ Dei ſunt peragere, ſed ea tantummodo, quæ ad agibile: vulgo *Azienda* Monaſterii pertinent, quæ ſanè hujuſmodi generis ſunt: Penſiones domorum, & Apothecarum exigere: Agrorum culturæ incumbere: ſedendo rationem repetere villicationis a ruſticis; hiſque ſimilia eorum reſpectivè miniſterii propria, quæ omnia ullo unquam tempore, nec reſpexerunt, nec reſpicere poſſunt ſpiritualia, ſed temporalia Monaſterii.

Additur inſuper ad eliminandam funditus difficultatem, quod ſi forte aliquo in Monaſterio una cum Parocho actuali adeſſet ejus Procurator ſpecioſiſſimo etiam inſignitus titulo, videlicet Prioris, qui etiam Parochum actualem in functionibus præcederet in illa Parochiali Eccleſia; ne quidem hunc talem Miſſam poſſe ſibi arrogare a ſe celebrandam eſſe, neque juſto titulo conqueri, ac reclama-

re, ſi ſemel aut alterâ vice non eligatur ad Sacra peragenda, in tali functione, aliuſque Sacerdos celebraturus eligatur: ipſo etiam renuente, ac fortiter reluctante, huic innixus fundamento; nempe, quod ſemper in hujuſmodi occaſionibus prædictam Miſſam celebraverit: & hæc animum meum movet potiſſima ratio, videlicet; quia venerabilis Abbatiſſa Domina & Patrona abſoluta eſt ſuæ Eccleſiæ, & eam Candidato Nobili ad talem functionem peragendam concedere poteſt abſolutè, liberè & independenter a Parocho actuali, a Confeſſario, a Procuratore: addita poteſtate ducendi pro Miſſa celebranda quemcumque Sacerdotem ad ejuſdem Candidati libitum, etiam omnibus illis ſuperius citatis, invitis, reluctantibus & contradicentibus; *Illa enim*, ait doctiſſimus de Luca Tomo XIV. Miſcell. Eccleſ. Diſcurſ. XXIX. num. 6. *Illa enim*

verè

verè Domina eſt libera Eccleſiæ ſuæ, illiuſque ſponſa, dotis fructus percipiens, & illi omnes ſuperius citati cum Parocho actuali, ejus famuli & Miniſtri ſunt pro ſolo exercitio, pro cujus ſalario ſeu mercede emolumentorum ac fructuum, aliquam obtinent participationem loco congruæ. Hæc omnia a fortiori valent de Prioribus Procuratoribus, illis in Eccleſiis, in quibus gradus hujuſmodi ſunt; enim verò plerumque hi ſunt Priores de puro nomine, & eorum Prioratus ſunt tituli ſine re: Priores ut plurimum, nec approbati ad ſacras Confeſſiones audiendas: & ſi fortaſſe approbentur, nequeunt in Eccleſia ſui Prioratus Sacramentales publicè audire Confeſſiones, & publicè Pœnitentiæ tribunali ſeſe exponere ſine prævia Parochi actualis licentia: nequeunt hi Priores ſine ejuſdem actualis Parochi expreſſa, non præſumpta delegatione, Matrimonio contrahendo

aſſi-

aſſiſtere ſub pœna irriti : propter impedimentum ; *Si Parochi & duplicis &c.* In collatione horum Prioratuum non expediuntur illis Literæ Apoſtolicæ, vulgo *Bolle* ; nihilque aliud oſtendere valent de tam laudata Prioralitate, quam nudum, illudque revocabile Procuræ Chirographum, per quod Monaſterii deputantur Miniſtri in agibilibus, non in ſpiritualibus, quæ ad ipſos non pertinent. Quare infertur, quod ſi juſto titulo reclamare, & conqueri non poteſt Parochus actualis in propria Eccleſia prælationem habens ſupra omnes non Parochos, cum in ſolemnibus celebrandis Miſſis, tum in his quæ muneris ſui ſunt, peragendis: *Barb. de Parocho cap.* 9. *num.* 5. *part.* 1., *Gratian. diſcept.* 298. *num.* 89. §. *Hinc & Rect.*, *Panimoll. deciſ. prima Annot.* 9. *num.* 1. *& ſeq. num.* 8. *& ſeq.* ; eo quod Miſſa illa privata non eſt de jure Parochiali ; quonam jure

Me-

Mehercule conqueri poterunt, eamque Miſſam celebrare prætendent Priores, Procuratores non Parochi, nec actuales, nec habituales, minoris per conſequens authoritatis & juriſdictionis in dicta Eccleſia; ni potius nullius ac Parochus actualis, non obſtante eorum terque quaterque decantato Prioratu?

Quæ ſane omnia, ſi vera ſint; ut veritati ſunt conſona, dicatur quæſo; quomodo poſſet talis Procurator impedimento eſſe, aut ſaltem juſto titulo reclamare, & conqueri de Abbatiſſa Monaſterii, ſi hæc, non explorato ipſius Procuratoris prævio [non tamen neceſſario] conſenſu, Candidato prædicto ſuam concederet Eccleſiam cum facultate pleniſſima, ad celebrandam Miſſam lectam, quemcumque ſecum ducendi Sacerdotem? Fortaſſe quia ea Miſſa juris ſit Parochialis? vel quia; ſicut multa alia peragit, ut mihi ſcri-

pſiſti

poſiti, divina Officia in dicta Eccleſia ad excluſionem Parochi actualis, quæ juris Parochialis eſſe videntur; ſic hanc Miſſam tanquam ſpectantem ad Parochos celebrare ipſe Prior Procurator debeat? At deinceps nullo modo ad Parochos pertinere, ac juris non eſſe Parochialis oſtendam: & ſi per impoſſibile de jure Parochiali talis Miſſa probaretur; prius tali caſu, Dominus Procurator de ſolo nomine *Prior* ſeſe Parochum creari curet; deinde petat, reclamet, conqueratur. Lamentabitur fortaſſe quis horum Priorum Procuratorum, eo quod, cum ſemper in hujuſmodi functionibus Miſſam celebraverit, poſſit per conſequens, titulo inviolabilis obſervantiæ, & quaſi poſſeſſionis, Monaſterii Abbatiſſam, penes quam Cura habitualis Parœciæ reſidet cum integro inviolato, abſoluto & independenti dominio ſuæ materialis Eccleſiæ, impedire, ne ſine prævia ipſius

Pro-

Procuratoris, & de puro nomine Prioris licentia, concedat, nec concedere poſſit Candidato alicui quemcumque ducere Sacerdotem ad prædictam celebrandam Miſſam non ſolemnem, & cum cantu, ſed ſolummodo privatam & lectam? Si hoc verum eſſet, ſequeretur quod plus Dominus eſſet in Eccleſia non ſua, Miniſter, quam Domina directa & vera: magis Servus, quam Principalis: plus tandem qui ſtipendio ſervit, quam illa, quæ ſtipendium ſolvit, ut ſibi ab illo ſerviatur: & id ſane foret ſummo ſupremi juris præjudicio præfatæ Abbatiſſæ, & ejus abſoluti dominii in dicta Eccleſia, in qua [ut mihi refers Epiſtolâ tuâ, amice jucundiſſime] adeſt Procurator, qui non obſtante Prioris titulo, alia diſtinctione non gaudet, quam cantandi Miſſas Hebdomadâ majori, aliaſque per annum: benedicendi populo cum Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacra-

cra-

cramento in ejuſdem Depoſitione: Officium agendi ſupra cadavera Monialium non Coralium: eiſque habitum Religionis imponendi, quæ omnia nec Parochum eum conſtituunt, nec actuali Parocho in juriſdictione ſuperiorem; cum ea omnia non ſint de jure Parochiali, ut decrevit Sacra Rituum Congregatio, & videre eſt apud Barboſ. de Poteſt. Parochi, & ap. Pittonum Collectanea Decretorum ad Parochos pertinentium. In Officio autem juxta Cadavera Monialium ſupplet [ut ſit hìc Florentiæ in multis Monialium Eccleſiis] loco Confeſſarii, qui eo quod ſit ſemper ex Ordinibus Regularibus, ut in aſſerto Monaſterio, multoties per conſequens diverſi Ritus a Romano, abſtinet ab hujuſmodi functionibus, ne ſeſe miſceat cum Clero ſeculari in Choro; & diverſitate Rituum fiat deformitas in Officio.

Infertur ergo ex dictis, quod ſicut

cut elapſis temporibus Abbatiſſæ, prædictas Miſſas & functiones, quæ nunc a Priore Procuratore peraguntur, potuerunt eas a proprio Parocho actuali de jure habente in hujuſmodi rebus ſupra cæteros quoſcumque in ſua Eccleſia Prælationem, transferre, & illas Priori Procuratori attribuere, nullâ perinde Parocho actuali illatâ injuriâ; ita, immo a fortiori poterit, & debebit quæcumque Abbatiſſa concedere cuilibet Candidato, ut quemcumque pro tali Miſſa celebranda convocet Sacerdotem; nullam per hoc inferendo injuriam, nec actuali Parocho; quia talis Miſſa non eſt de jure Parochiali; nec a fortiori, Priori Procuratori in dicta Eccleſia omni ſpirituali authoritate & præeminentia deſtituto, remanente digniori parte: Curâ nempe habituali, & redditibus Prioriæ, cum plenitudine poteſtatis, authoritatis & juris, cum ſuperinten-

ten-

tendentia non limitata nec imminuta penes Abbatiſſam, & Curâ actuali penes Parochum amovibilem ejuſdem Eccleſiæ: & remanente tandem ipſi Priori Procuratori ſine habitu, purâ & nudâ Prioratus denominatione, omnis ſpiritualis poteſtatis & juriſdictionis expoliatâ & inani.

Quod autem ea Miſſa non ſit de jure Parochiali probatur evidenter, & ſic eliminatur funditus dubium. De jure merè Parochiali eſt id, quod proprium Parochorum eſt, & ad Parochos pertinet privativè quo ad omnes, Parochiali authoritate non gaudentes. Proprium Parochorum eſt decimare, ac percipere oblationes: ſolemniter baptizare: Sacramentales Confeſſiones publicè in propria Eccleſia & Parœcia audire: Sacramentum Corporis Chriſti, cum ad modum Viatici, tum pro Communione Paſchali Fidelibus diſtribuere: extremæ Unctionis

Sa-

Sacramentum Parochianis miniſtrare : Commendationis animæ officium peragere: Matrimonii Sacramento aſſiſtere, vel alteri Sacerdoti, etiam non Parocho, authoritatem aſſiſtendi delegare: abſolutionis Officium juxta cadavera peragere : & id non ſolum in propria Eccleſia, verum etiam, & in aliis omnibus intra fines propriæ Parœciæ, erectionis Crucis authoritatem non habentibus; cujuſmodi ſunt Sanctimonialium Eccleſiæ. En in promptu favens dictis Joannes Baptiſta de Luca in Theatro veritatis, & juſtitiæ Tomo XII. de Parocho & Parochiis part. III. in Parmenſi Oratorii diſcur. XXXI. num. 8. *Jus Parochiale conſiſtit in jure decimandi, ac percipiendi oblationes; necnon obligatione Parochianorum recipiendi, Sacramentum Eucbariſtiæ in die Paſchatis, aliaque Sacramenta moribundis conferri ſolita; illud ſcilicet Eucbariſtiæ, quod ſumitur pro Via-*

Viatico, ac aliud extremæ Unctionis, necnon in jure funerandi, ac ſepulturæ: quoties defunctus in alia Eccleſia ſepulturam non eligat, vel ſepulturam majorum non habeat: quo caſu quarta, ſeu portio canonica ſibi debetur.

Et hic notetur obiter; ſermonem noſtrum eſſe de Cadaveribus tantummodo eorum laicorum cujuſcumque Parœciæ, qui in Eccleſiis Monialium non Parochialibus ſepulturam eccleſiaſticam elegiſſent. Non eſt tamen de jure Parochiali in dictis Eccleſiis cantare Miſſam preſente corpore Defuncti: hæc enim cantari poteſt a quocumque Sacerdote, qui in prædicta Monialium Eccleſia ſervitio ſit addictus; ſive ſit ipſe Capellanus vel Confeſsarius; adhuc invito & reluctante Parocho, intra fines cujus Parœciæ ſita ſit Eccleſia tumulans Monialium; enim vero, quo ad Parochum; ejus jura non læduntur in iis agendis, quæ

ad

ad ipſum non ſpectant. In quo quidem errant multi Parochorum, id prætendentes, & extenſo brachio, omnique conatu ſibi ea arrogare tentantes, ſupra quæ nihil juris, authoritatiſve habent: habitâ ſemper tamen relatione ad laudabiles conventiones, & pacta inter Eccleſiam tumulantem Monialium ſine Cura, & prælaudatam Parœciam. Juris Parochialis ulterius ſunt Benedictiones ſolemnes; quarum tamen nonnullas contrarius uſus communes fecit. Ad Parochos ſpectat Fidelium ſibi ſubditorum ad ſepulturam aſſociare cadavera, ſive aliquem delegare ſupplentem. Benedictio domorum in Paſchate eſt de jure Parochiali. Benedictiones Mulierum poſt partum a Sacra Rituum Congregatione jam ſancitum, & decretum eſt, non eſſe de jure merè Parochiali; tamen ad Parochos pertinere, una cum aliis ſimilibus juriſdictionalibus actibus mi-

noris

noris momenti, Parochorum propriis, quos videre licebit apud prælaudatum Barboſ. de Poteſt. Paroch. ap. de Luca, alioſque multos, qui ibi recenſentur. Celebrare vero Miſſam tum ſolemnem, cum privatam & lectam, ſemper & in functione prædicta eſſe de jure Parochiali, dubio procul nemo quidem, etſi mediocriter in jure Canonico verſatus aſſerere præſumet, tentabitve.

His ergo ſuppoſitis poterit Candidatus quilibet, concesſâ ſibi Eccleſiâ, ſibique pro tali functione commodatâ, Miſſam prædictam celebrare facere a quolibet Sacerdote, prout ſibi magis libuerit, nullam proinde irrogando injuriam Parocho actuali, quæ omnia quidem potioris ſunt tituli, ac magis valent & tenent in caſu noſtro mihi propoſito circa illum Priorem Procuratorem titulo ſolo, non re Priorem in Eccleſia ubi adeſt Parochus actualis, & ratio

tio eſt; quia ſi juſtè reclamare non poſſunt, nec de jure Parochiali prætendere eam Miſſam veri Parochi actuales cum exercitio Curæ: multominus eam prætendere poteſt Prior Procurator, qui in ejus aſſerta Eccleſia vocatur quidem Prior, ſed talis non eſt, niſi de ſolo nomine, puræ & nudæ denominationis extrinſecæ, abſque habitu proprio: ſine expeditione Bullarum: abſque approbatione ad Sacramentales confeſſiones: eſt Prior ſine Prioratu: Prior Parœcialis Eccleſiæ ſine Parœcia, ſine Parochianis; eo quod, & illa, & iſti quoad exercitium, & Sacramentorum adminiſtrationem a Parocho actuali taxativè dependeant, nullâ habitâ relatione, conſideratione & dependentiâ a Domino Priore, qui cum tali de puro nomine Priorali Eccleſiâ reſidentiam non poſcente (ipſe enim paſtor non eſt, nec oves nec ovile habet) ſi vellet, alteram Parœ-

 ciam

ciam, animarumque curam; oves proprias habentem, & reſidentiam poſcentem, ſimul tenere poſſet, quam quidem habere non poſſet, quinimmo nec ad ipſam adſpirare, ſi vere eſſet Paſtor, & Prior in illa Eccleſia, in qua Prioris nomine appellatur. Legat ergo ille Prior Procurator denuo Chirographum ſuæ Procuræ, eo quod literas Apoſtolicas ſui Prioratus legere non poteſt: non inveniet in eo ſane ſuperioritatem ullam in ſua Eccleſia, ſed præſto ſibi erit ex lectione ipſius, debitum invigilandi, juxta ſuperius dicta; ſupra ruſticos, ut terram arent: vineas cuſtodiant, & alia hujuſmodi faciant, quæ iterum repetere, inane eſſet & inutile: debitum inveniet explicitum; fructus Montium exigendi ſtatis temporibus, & alia hujuſce generis peragendi, quæ ſanè nunquam cum jure Eccleſiaſtico & Parochiali, vel cohærent, vel conveniunt. Quamob-

obrem unicuique datur, ut argumentetur, quod hujuſmodi Procurator Prior, eſt Parochus non Parochus: eſt Prior non Prior; quod in terminis repugnat. Eſt Prior denominativè; quia ſic appellatur: non eſt Prior; quia omnis authoritatis Parochialis expers. Hinc ſi examini ad ſacramentales Confeſſiones [ut dicebam] expoſitus approbaretur, in ſua Priorali Eccleſia palam Sacramentalibus confeſſionibus audiendis ſe ſe exponere non poteſt, ſine expreſſa actualis Parochi licentia, cui tantummodo, privativè quo ad omnes alios demandata eſt Cura actualis; deficit enim ipſi Priori authoritas juriſdictionis, ac militat contra ipſum reſtrictio communis, quæ in literis pro Confeſſariis omnibus, etiam pro tota Diœceſi approbatis apponitur *de conſenſu tamen Parochi confeſſiones ſacramentales audire*. Quare ſi in ſua Priorali Eccleſia, ſine prævia

Parochi actualis ſibi inferioris licentia, confeſſiones ſacramentales auditurus, approbatus ab Ordinario ſe ſe expoſuerit, ab eodem Ordinario tanquam reus turbatæ juriſdictionis poterit, reclamante Parocho actuali, coerceri & puniri. Ulterius, ſi ſine expreſſa, non præſumpta, actualis Parochi delegatione, Matrimonio contrahendo in ſua Priorali Eccleſia aſſiſtere voluerit; neminem latet, quid futurum eſſet de tali Matrimonio; propter impedimentum dirimens, ſuperius allatum: *Si Parochi &c.* Neminem latet, quid pro talis Matrimonii remedio eſſet agendum; Dominumque Priorem latere non deberet; quibus pœnis, cum ſpiritualibus, tum temporalibus pro talis Matrimonii illicitâ aſſiſtentiâ ſubeſſet. Ergo ſi non poteſt juſto titulo reclamare Parochus actualis, penes quem Cura actualis reſidet: & ſi Abbatiſſa, penes quam eſt Cura habitua-

tualis liberè, & abſque ulla limitatione, Candidato Eccleſiam ſuam commodare voluerit, flocci pilique faciendi ſunt clamores Prioris prædicti: enim verò, dato pro certo & inconcuſſo, talem Miſſam non eſſe de jure parochiali, quo titulo reclamare poterit Dominus prælaudatus Prior? nec Parochus, nec niſi de ſolo nomine Prior, & ſine juriſdictione.

Fortaſſe credet juris Parochialis eſſe eam Miſſam, eo quod in ipſa per manus Sacerdotis celebrantis Candidatus Sacram Communionem ſumere debeat, ac per conſequens, Ciborium divini Sacramenti ſit aperiendum. Si hæc ſumma difficultatis eſt, cui læſæ Parochialis juriſdictionis, violati juris ac turbatæ authoritatis lamentationes inniti poſſent; en in promptu remedium; en prudens temperamentum. Apponatur à Sacerdote celebraturo præter ho-

 ſtiam

ſtiam majorem pro Sacrificio, parva hoſtia [vulgo *Particola*] pro Candidato conſecranda. Quò abiit difficultas? quò lamentationes abjerunt? Sacerdos, ſumpto divino Chriſti Corpore, ac pretioſo ipſius Salvatoris libato Sanguine, Candidato prædicto ſacram Particulam porrigat; ipſe Candidatus comedat; Sacramentum ſuſcepit de manu Sacerdotis celebrantis, & de ejus divinis participavit myſteriis. Adeſt ne lex id prohibens? Prodiit ne in lucem Synodalis Conſtitutio id vetans? Eſt ne qua Eccleſia ab jure excepta, etiam Sanctimonialium, & ſine animarum Cura? Adeſt nec unum quidem publicum Oratorium, in quo hæc in Miſſa agendi legitima ſit prohibitio? Mitiorem Procuratorem illum deſidero, aut ſaltem non adeo rudis ac ſeveri temperamenti. Poteſt id, prælaudatis in locis, nullo eorum excepto, fieri. Nulla lex id prohibet, quia nulli infer-

tur

tur præjudicium. Sacroſancta Tridentina Synodus: omnes ac ſingulos hortatur Fideles Miſſæ Sacrificio intereſſentes, ut ſacram in eo per manus Sacerdotis celebrantis ſumant Euchariſtiam: non limitando ſane verba, nec ad Monialium Eccleſias, vel ad Parœcias, vel non Parœcias, nec tandem ad quamcumque, quantumvis exentem ac privilegiatam Eccleſiam; cum certiſſimum ſit, & Solis luce clarius, quemcumque Sacerdotem ubique celebrantem poſſe in Miſſa quoſcumque Fideles petentes, ſacrâ comunione reficere. Durus hic ſermo videtur? en in promptu textus Sacroſancti Concilii ſeſſione 22. de Sacrificio Miſſæ: *Optaret quidem Sacroſancta Synodus, ut in ſingulis Miſſis Fideles adſtantes, non ſolum ſpirituali affectu, ſed ſacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione communicarent, qua ad eos ſanctiſſimi hujus Sacrificii fructus uberior provenire-*

 ret.

ret. Advertendum tamen eſt, cum ſuperius dicitur: quemcumque Sacerdotem *ubique* celebrantem; non extendi hoc circa Communionem Fidelium Miſſæ interesſentium ad Oratoria privata domibus nobilium extructa: niſi tamen ipſi, illius domus Domini eſſent, de quibus quid juris in meo Dubiorum Libro &c.

Ultima tandem ratio, cui inniti poſſet animus prælaudati Prioris, ni fallor eſt: quia ſemper elapſis temporibus in hujuſmodi functionibus in ipſa Eccleſia ſemper: ipſe & non alii: ipſe taxativè, & non cæteri quicumque Sacerdotes: ipſe tandem privativè quoad omnes, & quoſcumque alios, hujuſmodi Miſſam celebraverit. Gordianum Edepol nodum! Huic tanti ponderis, tantique momenti difficultati, quam nos quidem parvipendimus, ſic reſpondetur. Proſit Admodum Reverendo Priori Procuratori, ſi ſemper illi for-

te

te datum, homines adeo dociles, terque, quaterque bonos invenire, qui propriam pecuniam ad aliorum libitum erogare voluerint. Cæteroquin exemplis hiſce, nullum ſtatum facientibus; eo quod ſint non in una, eademque continuata familia, ſed familiarum, & particularium perſonarum diſtinctarum, ac inter ſe ſegregatarum: & cum certum ſit, quod in rebus illis, quibus non favet juris aſſiſtentia, poſſeſſio ſeu quaſi poſſeſſio ad obtinendam manutentionem non ſuffragatur; niſi prius probetur titulus, juxta placitum *Menoch. de retin. Poſſeſſ. Remed. ultim. num.* 24., *Bellar. dec.* 435. *Rot. poſt Poſt. de Manutent. dec.* 646. *num.* 10. *& ſeqq.*, *& coram Buratto deciſ.* 312. *num.* 13., *Ciriac. controv.* 178. *num.* 13. *& ſeqq.*, corruit per conſequens, ſolvitur, & enodatur allata difficultas; Actus enim facultativi nullo pacto inducunt conſuetudinem re-

ſtrictivam liberæ poteſtatis. *Gratian. diſcept. forenſ. cap.* 88. *num.* 15., *Menoch. de Arbitrar. Jud. cap.* 160. *num.* 70. *& ſeqq. lit.* 2. *cent.* 2. ; *Pariſ. conſ.* 81. *num.* 58. *part.* 2., *Decius conſ.* 671. *num.* 2. *dec.* 72. *num.* 20. *coram Arguel. Anſald. deciſ.* 12. , *Cortiad. deciſ. Catalon.* 16. *num.* 76. , *Seraphinus deciſ.* 323. Tum etiam , quia non valet illatio de una ad aliam familiam , & per conſequens firmari non poteſt poſſeſſio , ſeu quaſi poſſeſſio conſtituens ſtatum ; quare illa præſumpta poſſeſſio, ſeu quaſi poſſeſſio, illæſam non conſervat manutentionem , per quam Prior Procurator, nec alter quiſque poſſit cogere Candidatos , pecuniam ſuam, non pro ut eis, ſed pro ut illis placuerit erogare , nec cogere , ut ad Miſſam celebrandam , quæ ab illorum libera pendet voluntate , nempe Candidatorum ; ipſe Prior Procurator convocetur , privativè quo ad alios quoſcumque

que Sacerdotes; quia ſic alii Candidati fecerint.

Ulterius, cum talis Miſſa ab alio Sacerdote celebrata nullam inferat injuriam, nullumque præjudicium juribus Parochialibus; & comodantibus Monialibus pro tali functione Eccleſiam, quod in ſenſu veritatis ſignificat; ipſam Eccleſiam eo mane totaliter ſtare, & per conſequens pendere ab arbitrio & diſpoſitione ipſius Candidati, pro tali commodo nummos duos, libraſque binas ceræ ſolventis, & eleemoſynam pro Miſſa erogantis; durum quidem eſſet, & crudelitati proximum, niſi libere poſſet eligere Sacerdotem quemcumque ipſe mallet ad Miſſam pro ſe ipſo celebrandam: juxta ſuam intentionem applicandam: & pro Miſſa, pro qua abundantem [& hic lapis offenſionis eſt. & petra ſcandali] abundantem, inquam, elargitur eleemoſynam; cum a natura rerum omnium magiſtra be-

nè proviſum ſit, unumquemque noſtrum abſolutum Dominum eſſe, pecuniam ſuam erogandi, pro ut ſibi magis libuerit, & cum quibus ſibimet magis placuerit. Quare infertur valde contrarium fuiſſet regulis Officiorum Illuſtriſs. ac Reverendiſs. Joannis della Caſa: ſi Abbatiſſa reſpondiſſet Candidato, Eccleſiam pro tali functione petenti: Concedo tibi Eccleſiam, & libenter quidem; verumtamen volo, quod Miſſa pro te applicanda, & pro qua tu, non ego, eleemoſynam erogas; Miſſa, inquam, functionis undequaque tuæ, non noſtræ, nec noſtræ Eccleſiæ a noſtro Procuratore ſeu Confeſſario, vel Parocho celebretur; idque eſſet concedere, & non concedere Eccleſiam prædictam: dare & non dare, quod in terminis repugnat.

Addo tandem ad ſupererogationem; talem Eccleſiam Monialium melioris in hoc non eſse condi-

tio-

tionis ac Eccleſiæ cæteræ cujuſcumque Diœceſis ac aliarum in Etruria Eccleſiarum, in quibus, paucis exceptis, videlicet unâ vel alterâ Aretii exceptâ Eccleſiâ, ſolent Candidati ad celebrandam Miſsam, quem volunt eligere Sacerdotem, & in paucis aliarum Eccleſiarum, difficultatibus hujuſmodi obviam itur, quæ ſane prudentiâ vincuntur, eliminantur, & ſuapte naturâ corruunt hoc uno adhibito remedio: in illis duriorum ſuperiorum Eccleſiis, locum concedentium ad functionem peragendam ſine libertate electionis Sacerdotis ad divina myſteria celebranda: renunciare nempè conceſſioni, ac pulverem pedum excutiendo ipſis in teſtimonium, alteram ſibi eligere Eccleſiam, in qua hujuſmodi difficultates non occurrant, quæ quidem Eccleſiæ nullibi deerunt, ut non deſunt Florentiæ, ubi omnes ferè Eccleſiarum, veri non ephimeri & de

ſolo

ſolo nomine Rectores, Parochi, Priores, Monialium Gubernatores & Confeſſarii [uno vel alio durioris cordis excepto] Eccleſias, hujuſmodi functionibus peragendis, liberè concedere ſolent, nulla penitus ſuperaddita reſtrictione: & quaſi gloriantur functiones haſce, non quidem Parochiales, nec jurium Parochialium læſivas, neque ad divinum cultum ſpecificum, & individualem ac proprium ſuarum Eccleſiarum; ſed ad divinum cultum generalem ſpectantes in ſuis eorum reſpectivè Eccleſiis adhiberi.

Conceſſit ergo Abbatiſſa Monaſterii Eccleſiam Candidato? optimè quidem fecit. Nullâ petitâ licentiâ a Priore Procuratore? pluſquam optimè operata eſt. Domina enim erat, & eſt ſuæ Eccleſiæ, a Procuratore nullo modo dependens. Reclamabit ille & conquaeretur? Sinat eum, prout vult conqueri, & ſic docebuntur, erudien-

tur

tur hujuſmodi aſperioris cordis Miniſtri; quod eſſet quidem durum commodare Eccleſiam Candidato pro tali functione, reſervando ſibi in conceſſione facultatem eligendi Sacerdotem pro Miſſa, quæ eidem functioni extrinſeca est, & non neceſſaria: & id eſſet commodare, & non commodare Eccleſiam; ſed partim concedere, partim non concedere, reſervando contra jura petentis, alteri id, quod ad eum non pertinet. Debuit ergo Abbatiſſa, & in poſterum liberè & abſolutè debebit uti jure ſuo, quia Domina eſt independens & abſoluta, apud ſe habitualem Curam retinens ſuæ Parochialis Eccleſiæ, & independenter a fortiori a ſuo Priore Procuratore, Eccleſiæ & Monaſterii, non quidem Domino, ſed mercenario & ſervo de ſtipendio: & independenter etiam a Parocho actuali, qui ſolus privativè quo ad alios, præſertim quo ad Prio-

rem Procuratorem cuſtodiam ſibi demandatam habet Eccleſiæ, & Curam actualem ejuſdem, & Parœciæ circa ea, quæ ad jus Parochiale tantummodo pertinent.

Ita agendum eſſe prudentia docet: ratio aſſiſtit multis edocta caſibus, e quibus brevitatis gratiâ unum tantum refero. Poteſt ne dari caſus, quod aliquis Sacerdos gravem alicui nobili Viro injuriam irrogaverit? Poteſt ne eſſe, quod aliquis Sacerdos diù cum nobilium Familia civilem litem accenderit, conſervaverit? Poteſt ne dari caſus, quod Nobilis ille vir, aut ejus filius diuturnâ a tali Sacerdote motâ ac diſpendioſâ defatigatus lite, velit in Eccleſia Monialium, inter quas degit vel ejus Soror vel Nepos, functionem hanc peragere, ſuſcipiendi habitum Illuſtriſſimæ ac Sacræ Religionis S. Stephani Papæ & Martyris? Poteſt ne dari caſus, quod in prædicto Monaſterio, vel a Confeſſioni-

nibus vel Procurator ſit ille idem Sacerdos, a quo Nobilis ille gravi petitus fuit injuria, aut a quo diuturna & diſpendioſa defatigatus fuit lite, maximo cum detrimento familiæ ſuæ ac incommodo, ſe ſuaque jura tuendo proprio quaſi conſumpto patrimonio; quando Procurator ille, Monaſterii profuſit pecuniam ad defaticandum infelicem adverſarium; litem cabalis ac tergiverſationibus protrahendo? utinam hæc omnia vera non eſſent, ut ſunt, Nobilis ille Vir dogmata Evangelii in corde retinens; omne debitum ex toto corde dimiſit Procuratori: pepercit pro injuriis: damna etiam injuſtè illata dimiſit; ſed ne deterius ſibi aliquid contingat, neve ſuſcitetur extinctus iraſcibilis ignis, melioribus virorum proborum inhærendo conſiliis, non vult eſſe cum illo, eumque non vult, nec eum prudenter velle debet in ſuis functionibus.

Tali

Tali admiſſo non metaphyſico caſu: ad elucidandam veritatem, fingamus Candidatum illum in Eccleſia Sanctimonialis Sororis ſuæ vel Nepotis omnimode ad propriam utilitatem, minorum nempe expenſarum, functionem hanc peragere velle, remoto tamen Sacerdote illo ſive Confeſſario ſeu Procuratore, qui depoſitâ verecundiâ, omni conatu velit celebrare Miſſam; quid quæſo prudenter agendum? Abbatiſſa Monaſterii mavult mori, quam morem non gerere, & moleſta eſſe Candidato & Sorori Moniali vel Nepoti ipſius. Candidatus juſto titulo eum non vult in hujuſmodi ſua functione; Sacerdos intereſſe vult, & Miſſam in hujuſmodi occaſione celebrare. En profecto quid in tali caſu agendum? Liberè ab Abbatiſſa concedenda eſt Eccleſia Candidato. Non curandi; immo Teruntii faciendi queſtus & rumores Sacerdotis reclamantis, qui-

cum-

cumque ille ſit. Enim vero Miſſa illa, quia non Parochialis, nec jurium Parochialium læſiva vel contraria, poteſt a quocumque Sacerdote [etiam reluctante Parocho] celebrari ; nec obſtat ratio deſuper allata, eam ſemper celebraviſſe Priorem Procuratorem ; per ea, quæ ſuperius dicta ſunt, & inferius ſubdentur.

Procurator ergo ille Prior celebrabit Miſſam, quando Candidatorum non intererit, quod ipſe celebret ; quando vero aliquis Candidatus eum nolit ; velitque ad ſuum libitum alterum ducere Sacerdotem celebraturum: obtentâ prius licentiâ a Domino vel Domina Eccleſiæ, aut ab eo, penes quem Cura habitualis reſidet; Prior ille ſine Cura, & Prior ſine habitu, ſine redditibus, ſine Parœcia, ſed cum ſolo Chirographo procuræ, ſi prudenter operari voluerit, ſinet celebrationem Miſſæ liberam Sacerdoti a Candidato

ele-

electo : eâque ab illo celebratâ abſtinebit a clamoribus, parcet querelis : ſedebit tacens & diſſimulans : nec dolebit ab eo non petitam licentiam ; quia nihil illi ſuperioritatis in prælaudata Eccleſia, niſi purum Prioris apocriphi nomen, niſi pura denominatio, nec dolebit ſe non celebraviſſe eam Miſſam, ad quam celebrandam nullum habet, nec habere poteſt jus, ne quidem ſuppoſitum : & quâ non celebratâ ab ipſo, nihil præjudicii ejus præeminentiis infertur, nec inferri poterat ; non ab Abbatiſſa, ſine illius licentia vel conſenſu, ſed adhuc eo invito & reluctante Eccleſiam concedente, quia Domina eſt independens & abſoluta, & ipſe Prior, amovibilis & mercenarius miniſter, famulus & ſervus ; neque multo minus a Candidato, vel Sacerdote electo ; cum uterque, ſuppoſita Abbatiſſæ licentia, jure ſuo utantur ; nec ad
ipſam

ipſam Eccleſiam talem functionem peracturi veniſſent; niſi prius ipſis conceſſa fuiſſet.

Invitis ergo ac reluctantibus hujuſmodi, & hujus generis Prioribus Procuratoribus, Superiores illi, quos apud Cura habitualis propriæ Eccleſiæ reſidet, liberè, & abſolutè hujuſmodi functionibus Eccleſiam concedant: & ſic edoceant iterum atque iterum, reclamantes non eſſe Dominos, ſed ſervos & miniſtros, nihilque pendere liberum arbitrium, liberamque poteſtatem Superiorum incommodanda pro hiſce functionibus Eccleſia propria, a voluntate, Miniſtrorumque, ſtipendio ſervientium arbitrio. Sic talia edocuit Procuratorem ac Confeſſarium Sanctimonialium S. Apolloniæ Civitatis Florentiæ Illuſtriſſimus ac Clariſſimus Senator & Marchio Laurentius Niccolinius, cujus memoria in benedictione eſt, quando habitum ejuſdem Sacræ Mili-

tan-

tantis Religionis ſuſcepturus erat in earum Eccleſia, ejus Illuſtriſſimus Nepos Laurentius Niccolinius; enim verò conceſsâ ab Abbatiſſa Eccleſiâ pro tali functione, in brachio extento prætendebant Admodum Reverendi earum Confeſſarius & Procurator, divina ipſi peragere myſteria. *Quid non mortalia pectora cogis auri ſacra fames?* Diu hinc inde verbis luctatum eſt; ac tandem humaniſſimus Vir propter importunitatem reclamantium Confeſſarii & Procuratoris, unuſquiſque quorum, *Cicerò prò domo ſua*, in hæc, quaſi nolens verba erupit: *Mi pare una bella improprietà e ardire; in una funzione, che è tutta mia, ſi voglia introdurre a far faccende uno che non ci ha che fare, che non è invitato, e che io aſſolutamente non voglio nelle coſe mie.* Audiſtis hæc omnia? Non obſtante recurſu ad Illuſtriſſimum ac Reverendiſſimum Archiepiſcopum Florentinum prælau-

laudatum Thomam Bonaventuram della Gherardeſca Juris utriuſque Doctorem eximium, qui ad favorem Candidati, Confeſſario ac Procuratori reclamantibus, prudenter reſpondit: *Loro badino ognuno al loro miniſtero: e io non poſſo impedire, che la Madre Badeſſa non preſti la ſua Chieſa per una sì fatta funzione; nè poſſo impedire, che il Signor Cavaliere, che prende la Croce, non conduca chi egli vuole a celebrargli la Meſſa*. Celebravit, inquam, Miſſam in dicta recalcitrante Eccleſia, Sacerdos a Candidato electus Lucas Joſeph Cerracchinius, ejuſdem Candidati in humanioribus literis Præceptor; ſic cæteris, vel Candidatis, vel Candidatorum parentibus faciendi ſimiliter, exemplum ſingulare relinquens, ad eos coercendos, qui quæ ſua non ſunt facere & operari pertentant. Et ſic edocti fuere ii, penes quos Cura habitualis Eccleſiarum eſt; eos

Do-

Dominos eſſe liberos & abſolutos, ac independentes a quocumque ſuarum Eccleſiarum Miniſtro: & a quacumque alia quantumvis inſigni perſona ſuam Eccleſiam concedendi, cum facultate pro Miſſa quemcumque, prout Candidato magis libuerit, eligendi Sacerdotem [quod magis ac magis militat in Eccleſiis Monialium cum animarum Cura & Parœcia] dummodo ad formam Synodalium; non vagum, advenam ac alienigenam, non ſuſpenſum, vel excommunicatum, ſed Sacerdotem bonæ famæ & probum, qui certè ullo tempore nec unquam impedietur, ſi conſuetam, brevemque pro Miſſa eleemoſynam vulgo *un Paolo* recipiat, quæ omne tunc tollet præjudicium.

Dixi ſuperius nedum a quacumque perſona quantumvis inſigni impediri poſſe, Candidatum quemcumque ſecum ducendi Sacerdotem pro tali Miſſa celebranda;

nec

nec impedire eum poſſe, ne in poſterum Abbatiſſa Eccleſiam cum facultate ducendi Sacerdotem quemcumque pro Miſſa celebranda concedat; nec talia me dixiſſe pœnitet, enim verò non poteſt; primò nec titulo conſervandi jura Parochialia Miniſtris Eccleſiæ, vel titulo impediendi ea, quæ jurium Parochialium læſiva ſunt; cum talis Miſſa, per ea quæ dicta ſunt, nec juris Parochialis ſit, nec jurium Parochialium offenſiva. Non poteſt ſecundo, titulo conſervandi Priorem Procuratorem prædictum in ſua præſumpta manutentione poſſeſſionis, ſeu quaſi poſſeſſionis, præfatam Miſſam celebrandi, per ea, quæ ſuperius allata ſunt, ubi probatum eſt in hoc caſu poſſeſſionem, ſeu quaſi poſſeſſionem non dari, idque prætendere, emendicatum eſſe prætextum ſibi arrogandi ea, quæ ſua non ſunt, nec eſſe poſſunt. Non poteſt id tandem impedire titulo

impediendi & tollendi jurgia & contentiones; enim vero hoc fieri poteſt, & aliquando debet; verumtamen abſque ullius perſonæ præjudicio, quod in caſu noſtro, ſummum inferretur ſupremæ, & a quacumque perſona independenti jurisdictioni Abbatiſſæ Monaſterii prædicti, quæ eo quod penes ipſam ſit Cura habitualis Eccleſiæ ſuæ, cujus eſt Domina libera, abſoluta & independens a quacumque perſona, per conſequens poteſt ipſam concedere cuique Candidato pro tali functione cum facultate pro Miſſa quemcumque ſecum ducendi Sacerdotem ad celebrationem divinorum myſteriorum peragendam, neque quis Superior hoc in caſu ullatenus eam impedire poteſt circa prædicta ad clamores, & ut morem gerat Priori Procuratori, vel Paroco actuali, alias ſine juſto titulo & ſine cauſa, authoritatem ipſius Abbatiſſæ infringeret ac minueret;

ipſam

ipſam Abbatiſſam Miniſtro ac Famulo Monaſterii de ſtipendio, in hoc ſubordinando; qui poſſet nolle id, quod Abbatiſſa vellet, & velle id, quod Abbatiſſa nollet; quæ omnia æquitati aliena ſunt, & contraria, & authoritatis & independentiæ ipſius Abbatiſsæ læſiva. Quare &c. Salvo &c.

DUBIUM VII.

Concurrentibus ſecundis Veſperis Sancti Protectoris principalis alicujus Diœceſis duplicis primæ claſſis, cum primis Veſperis Sancti Titularis alicujus Eccleſiæ & Patroni Religionis, cui dedicata eſt ipſa Eccleſia, ac per conſequens duplicis primæ claſſis; cujus ex his Veſperæ integræ eſſe debeant, cum commemoratione alterius.

Adm. Rev. Viro Franciſco Cantinio Sacerdoti Biturgenſi.

Concurrentibus hoc anno milleſimo ſeptingenteſimo octavo ſupra vigeſimum, ſecundis Veſperis S. Zenobii Diœ-

ceſis Florentinæ Protectoris & Patroni, quod ritu duplicis primæ claſſis & cum octava celebratur, cum primis Veſperis Sancti Philippi Nerii in Eccleſia propria, in qua eſt Titularis ac Patronus Congregationis ſub ipſius nomine, patrocinio & protectione fundatæ Presbyterorum ſecularium, vulgo *dell' Oratorio* : interrogatus an bene tali concurrentiæ Veſperarum aptaretur & quadraret Rubrica: *Officium de digniori, commemoratio de minus digno* : ac per conſequens ſecundæ Veſperæ deberent tribui S. Zenobio, utpote quia Confeſſor Pontifex eſt, & ejus feſtum eſt Patroni totius Diœceſis; ideoque ejus feſtum nobilius videretur feſto & Officio Titularis & Patroni illius Congregationis ſub ritu Confeſſoris non Pontificis; datâ tamen S. Philippo Nerio commemoratione; vel potius Veſperæ integræ eſſe deberent de ſequenti, cum commemora-

ratione præcedentis; videlicet de S. Philippo Nerio cum Commemoratione S. Zenobii. Prima quidem fronte dubio procul ſtandum, & decidendum pro S. Philippo Nerio; utpote quia in ejus Eccleſia feſtum ipſius Sancti Philippi, tanquam de Titulari & Patrono Congregationis celebratur majori ſolemnitate & pompa, quam feſtum S. Zenobii, Diœceſis Florentinæ Protectoris; quod quidem feſtum magis univerſale eſt; ſed in præcitata Eccleſia S. Philippi, licet celebretur ſub ritu duplicis primæ claſſis: celebratur tamen minus ſolemniter, & minori pompa, ac Feſtum S. Philippi Nerii ejuſdem Eccleſiæ Titularis, & Congregationis Oratorii Fundatoris præcipui & unici. Eruditiſſimus Guyet aſſerit, Patronum Ordinis ſeu Congregationis digniorem eſſe Patrono Loci ſeu Diœceſis; quæ omnia ſi ita ſint, quis dubitabit amplius, primas

Veſperas integras dandas non eſſe Sancto Philippo Nerio, ſolamque Commemorationem S. Zenobio, cum hic ſit Patronus Loci, ille vero Patronus Congregationis, & inſuper Oratorii ſeu Eccleſiæ ipſius Congregationis Titularis, ac per conſequens duplici titulo, eoque ſpecioſiſſimo, ſuperioritatem quandam ſuper illud feſtum ſibi vindicet? quam quidem ſuperioritatem majori titulo ſibi vindicabit, ac retinebit ſi conſuetudo aderit legittime introducta, quæ attendenda eſt, ut bene tali caſu notat Guyet Cap. 15. q. 2., ubi ſic legit ſemper laudandus Byſſus in Hierurgia verbo *Dignitas* num. 161. §. III. *Guyet cenſet, Patronum Ordinis eſſe digniorem Patrono Loci, at in caſibus occurrentibus, vel conſuetudo legitimè introducta erit attendenda, vel periti conſulendi; quia variis circumſtantiis ſpectatis, plura poſſunt opportunè reſolvi.* En circumſtantiæ

tiæ pro feſto S. Philippi Nerii. I. In ejus Eccleſia feſtum ipſius colitur majori ſolemnitate ac pompa. II. Non ſolum eſt Patronus Congregationis, ſed etiam Titularis prædictæ Eccleſiæ. Nec obſtat quod feſtum Sancti Zenobii ſit magnæ devotionis, & Florentiæ abſtineant Fideles ab operibus ſervilibus; hoc enim non obſtaret etiam ſi illud eſſet de præcepto, ut ait prælaudatus Guyet. *Errant illi qui putant feſtum de præcepto ſive colibile habere integras Veſperas in concurrentia alterius æqualis claſſis, ſed non colibilis.* Ergo de primo ad ultimum applicando doctrinam in ſimili caſu, reſponſum habebis pro tua Biturgenſi Diœceſi.

DUBIUM VIII.

An concurrentibus primis Veſperis alicujus duplicis ſecundæ claſſis cum ſecundis Veſperis SS. Trinitatis ejuſdem ritus, habenda ſit commemoratio ſecundarum Veſperarum Dominicæ primæ poſt Pentecoſten.

Adm. Rev. P. F. Joſepho de Vernio Concionatori Capuccino.

MAxima quidem difficultas eſt inter Rubricarum Profeſſores; an cum ſecundis Veſperis Sanctiſſimæ Trinitatis; cujus celebratur Feſtum Dominicâ primâ poſt Pentecoſten: concurrentibus primis Veſperis alicujus Sancti duplicis ſecundæ claſſis, cum Veſperæ debeant eſſe de digniori; ideſt de Sanctiſſima Trinitate cum commemoratione de minus digno; ſcilicet de Sancto concurrenti; fieri debeat adhuc

huc commemoratio de ſecundis Veſperis Dominicæ primæ poſt Pentecoſten, in qua prædictum Feſtum Sanctiſſimæ Trinitatis celebratur. Enim vero attentâ regulâ generali Concurrentiæ, Commemoratio Dominicæ in ſecundis Veſperis cum primis alicujus duplicis ſecundæ claſſis omittenda eſt: juxta numerum primum in quadrato tabulæ Concurrentiæ. *Totum de ſequenti, nihil de præcedenti*. In Breviario Romano obſervandum eſt; quod in diviſione Dominicarum in duas claſſes, inter eas, nempe quæ primi ordinis ſunt, & nunquam omittuntur; ſed quodcumque Feſtum, etiam primæ claſſis in illis occurrens, transfertur in primam diem non impeditam; ponitur Dominica Trinitatis, quæ denominationem a potiori deſumens ſic appellatur; nunquam vero, titulo Dominicæ primæ poſt Pentecoſten. En in promptu Rubrica.

Dominicæ majores dividuntur in duas claſſes, quæ nunquam omittuntur.

Prima Adventus;
Prima Quadrageſimæ.
Paſſionis.
Palmarum.
Paſchæ.
In Albis.
Pentecoſtes.
Trinitatis.

Difficultatis hujus ſolutio a duplici Rubrichiſtarum opinione pendet. Nonnulli etenim eorum, Dominicam Trinitatis volunt Pentecoſtes Feſti eſſe octavam. Alii vero Sabbatum ante Dominicam Trinitatis, in quo Paſchale tempus clauditur, octavam eſſe Pentecoſtes, omni conatu defendunt. Hoc poſito. In ſententia eorum, qui hanc Dominicam volunt octavam eſſe Pentecoſtes: etiamſi Feſtum Trinitatis eſſet duplex minus per annum, & in ſecundis Veſperis concurreret cum primis

adhuc

adhuc duplicis primæ claſſis ; nihilo tamen minus eodem perfrui deberet privilegio ac Octava diei Epiphaniæ, Reſurrectionis, Aſcenſionis, & Corporis Chriſti ; quarum Feſtivitatum ſecundæ Veſperæ diei octavæ (etiam in tali ſuperius allato concurſu) Feſto concurrenti integras Veſperas attribuunt, ſibi tamen, omni exceptione remota, commemorationem reſervando. Quod autem Dominica Trinitatis, & non Sabbatum antecedens ſit Octava Pentecoſtes docet Eruditiſſimus Berno in de quibuſdam ad Miſſam pertinentibus cap. 3., unde infertur; quod conſideratâ hac Dominicâ ut octavâ Pentecoſtes ſecundum opinionem ſuperius allatam, omnia & ſingula habere debeat privilegia Dominicarum majorum, & primi ordinis ; multoque magis quia eſt Dominica Trinitatis. Verumtamen hanc Dominicam ex majoribus, atque primæ claſſis eſ-

ſe docent alii: non ſane ex eo, quod ſit Dominica prima poſt Pentecoſten, in quo nihil a quacumque Dominica per annum differt; ſed propter Feſtum Sanctiſſimæ Trinitatis, eidem annexum. Quare ut prima Dominica poſt Pentecoſten conſiderata, ſequi debet regulam Dominicarum per annum in concurſu ſecundarum Veſperarum cum primis Veſperis alicujus Feſti duplicis primæ vel ſecundæ claſſis; nempe commemorationem amittendi: attentâ regulâ quadrati num. 1. *Totum de ſequenti, nihil de præcedenti*. Hoc magis ſtatuitur, & eo magis verum eſt, ut ait eruditiſſimus Gavantus; quia Sabbatum præcedens, non Dominica Trinitatis, eſt Octava Pentecoſtes; *An vero*, ait laudatiſſimus Author part. IV. tit. XI. num. 27. *An vero dies Octava Pentecoſtes dici debeat Sabbatum ſequens, vel Dominica, diſputat Berno & concludit cum Catholica Eccleſia.*

Octa-

Octavam dici Dominicam ſequentem, quam nos Feſtum Trinitatis dicimus; ſed tamen tempus Paſchale terminatur in Nona Sabbati, cujus Sabbati Miſſa eſt pleniſſima; quia omnia quæ dici poſſunt in Miſſa in ea una continentur: Hymnus Angelicus, Prophetiæ, Sequentia, Symbolum, Præfatio, Communicantes, Hanc igitur oblationem &c. Exiſtimo ergo Dominicam hanc, quatenus conſideratur non ut Feſtum Trinitatis eſt, ſed quatenus Dominica prima eſt poſt Pentecoſten aliis privilegiis non gaudere, niſi iis, quæ propria ſunt aliis Dominicis per annum; contra Bernardum Byſſum in Hierurgia, verbo Dominica Trinitatis, ubi ſic adamuſſim lego: *Dominica Trinitatis eſt ordinis primæ claſſis: in ea tamen ſemper celebratur feſtum Sanctiſſimæ Trinitatis ſub ritu duplicis ſecundæ claſſis, cum commemoratione Dominicæ. Nota tamen, hoc feſtum non poſſe impediri*

ab alio, etiam primæ claſſis: non ratione feſti Trinitatis, quod eſt tantum ſecundæ claſſis, ſed ratione Dominicæ, quæ utpote primæ claſſis excludit a ſe quodcumque Feſtum. Cæterum officium Sanctiſſimæ Trinitatis fit more duplicium ſecundæ claſſis; adeoque admittit commemorationem ſimplicis, & ad Laudes & in Miſſis privatis. Non valet tamen prælaudati Byſſi ratio; enim verò quod in prima Dominica poſt Pentecoſten non poſſit de ullo Feſto fieri, etiam de Dedicatione, Titulari, ac Patrono: non eſt ſane ex eo, quod illa Dominica ſit prima poſt Feſtum Pentecoſten; ſed quia taxativè in ea recolitur Solemnitas Trinitatis Individuæ, quæ etſi ſecundæ claſſis habet de ſe excludere quodcumque Feſtum ſolemniſſimum. Non eſt enim novum quod Feſtum ſecundæ claſſis excludat Feſtum primæ claſſis. Nonne Dedicatio propriæ Eccleſiæ:

Pa-

Patronus & Titularis ſi occurrant in Feſto Circumciſionis duplici ſecundæ claſſis, excluduntur ab illo? Nonne ſi occurrant Feſta illa primæ claſſis die octavo Epiphaniæ, duplici ſolum minori per annum dicato Baptiſmati Chriſti non excluduntur, & in aliam diem non impeditam ſunt transferenda. Non poteſt autem, nec debet transferri Solemnitas Baptiſmatis Chriſti, tali die aſſignata & propria. Sic a pari, Feſtum Trinitatis excludit quidem quodcumque Feſtum, etiam primæ claſſis occurrens, non ratione ſolius Dominicæ, cui annexa eſt Feſtivitas Trinitatis; ſed ratione Feſti ejuſdem Trinitatis, cui aſſignata eſt tanquam propria dies illa Dominicæ, illudque eſt Feſtum univerſale, Feſtum totius Trinitatis, quod transferri non poteſt; ſed quodcumque Feſtum ſimul occurrens transferendum eſt ratione proprii privilegii, Trinitatis non

Do-

Dominicæ, cui eſt affixum, remanente ſemper in ſuo gradu puræ Dominicæ non privilegiatæ; niſi propter Feſtum Trinitatis, ipsâ Dominicâ. Audiatur, quæſo, eruditiſſimus Bartholomæus Gavantus qui dubium mirifice ſolvit ſect. 6. cap. 19. num. 2. *Et hæc Dominica prima poſt Pentecoſten, ut ſic eſt, ejuſdem rationis cum Dominicis ſequentibus; non enim de ea intelligitur Rubrica ſub titulo Dominicarum primæ claſſis, quæ nunquam omittuntur, nempe Dominica Trinitatis: & patet quia de illa ſit officium, de hac verò commemoratio tantum, & ipſa commemoratio omittitur in ſecundis Veſperis, ſi feria ſecunda celebretur Feſtum ſecundæ claſſis vel primæ.* Neque *mireris quod Feſtum Trinitatis nunc dicatur Feſtum, nunc Dominica, nam utrumque verum eſt: & ratione Dominicæ, in qua ſemper occurrit, habet hoc quod nunquam omittitur officium de Trinitate, licet*

cet eo die occurrat alicubi primæ claſſis Feſtum; ratione verò Feſti habet ea tantum, quæ ſunt propria Feſtorum ſecundæ claſſis; puta commemorationem de ſimplici in Laudibus tantum, & in Miſſis privatis. Neque in Rubricis potuit congrue aliter fieri ad utrumque decernendum; quidquid obiecerint non pauci.

In caſu ergo concurrentiæ in ſecundis Veſperis Sanctiſſimæ Trinitatis duplicis ſecundæ claſſis cum primis, v. g., S. Antonii duplicis itidem ſecundæ claſſis pro Patribus Ordinis Capuccinorum Sancti Franciſci; cum in eadem linea, digniora ſint Feſta Domini, Feſtis Sanctorum; Officium erit de digniori, nempe de Sanctiſſima Trinitate, Commemoratio de minus digno, videlicet de S. Antonio. De Dominica vero prima poſt Pentecoſten; cum ut talis, non ſit privilegiata, ſed Dominica quæcumque & per annum: in ſe-

ſecundis Veſperis in concurſu cum primis, duplicis illius ſecundæ claſſis : nempe Sancti Antonii , nihil de ea , attentâ regulâ : *totum de ſequenti , nihil de præcedenti*. Et ita &c., Salvo ſemper &c.

DUBIUM IX.

Utrum Antiphona Alma Redemptoris Mater *in Eccleſiis in quibus Purificatio B. Mariæ Virginis eſt Titularis, vel celebratur cum Octava, vel transfertur, protrahenda ſit uſque ad totam Octavam, aut ad diem translationis Feſti, ſeu potius uſque ad Purificationem incluſive die ſecunda Februarii, eoque die mutanda, & alia Antiphona ſubroganda, nempe :* Ave Regina.

NUnquam mihi placuit quod in Octavario Romano, ab eruditiſſimo Bartholomæo Gavanto pro certo aſſeritur, videli-

delicet, quod ſi celebretur Purificationis Feſtum cum Octava, per totam eandem Octavam dicenda ſit Antiphona: *Alma Redemptoris Mater*. Conſulatur idem laudatiſſimus, ſemperque laudandus Author *Sect. V. de fine Officii & Antiphonis finalibus Beatæ Mariæ Virginis numero ſeptimo per totum. Dicitur hæc Antiphona uſque ad Purificationem incluſive; ita ut ſi Purificatio quoad Officium transferatur: Antiphona hæc quoque non dimittatur, niſi in fine illius Officii: immo vero ſi Purificatio alicubi Octavam habeat: adhuc hæc Antiphona dicenda erit uſque ad Completorium diei Octavæ excluſivè, ſeu uſque ad finem Octavæ, ſi forte contingat finiri ad* Nonam *pridie Feriæ quartæ Cinerum; quia tota octava pro die uno reputatur ex Radulfo de Octavis: & ita decrevit Sacra Rituum Congregatio in Officiis, ejus authoritate editis Romæ anno* 1606. *ad uſum Patrum Di-*

ſcal-

ſcalceatorum Carmelitarum. Quanti verò valeat laudatiſſimi Viri prælaudatum placitum videre eſt in Rubricis Breviarii recogniti ad Completorium de Antiphonis finalibus Beatæ Mariæ Virginis, ubi ſic lego: *Poſt Purificationem, ideſt a fine Completorii illius diei ſecundæ Februarii incluſivè, etiam quando transfertur Purificationis Feſtum, uſque ad Feriam quintam in Cœna Domini excluſivè, Antiphona dicitur Ave Regina Cœlorum*. Rubrica hæc quam in omnibus cum antiquis, tum recentioribus Breviariis integram inviolatam, & ſemper in praxi ſervatam lego, fundamentum eliminat Gavanti, qui nimis rigoroſè, & ſtricto modo interpetratur ly *incluſivè*: & per conſequens ad Purificationis Feſtum, etiam translatum, Rubricam de dicenda Antiphona *Alma Redemptoris Mater* traducit; clarius enim luce Solis e contra infertur, quod ſi Antiphona:

phona illa *Ave Regina Cœlorum* etiam quando Feſtum Purificationis tranfertur, ſemper a fine Completorii diei ſecundæ Februarii incluſivè dicenda eſſet, & uſque ad Cœnam Domini excluſivè in Officio recitanda alia Antiphona *Alma Redemptoris* ſemper in feſto Purificationis eſſet relinquenda, nihil attendendo quod Feſtum iſtud transferatur, vel in aliqua Eccleſia feſtum Purificationis ſit tanquam de Titulari, & per conſequens cum Octava, quæ reputatur continuatio ejuſdem feſti. Non deſunt quidem nonnulli primi nominis Authores contrariam defendentes ſententiam. Cæterum confiteri neceſſe eſt Antiphonas omnes Beatæ Mariæ Virginis, quæ finales dicuntur, non reſpicere rigorosè, e. g., feſtum illudque ſolemniſſimum Reſurrectionis Dominicæ, vel octavam Pentecoſtes, ſicuti ne quidem primam Dominicam Adventus, aut

Beatæ

Beatæ Mariæ Virginis Purificationem ; ſed ſolummodo tempus illud , quod inter eas intercedit feſtivitates non protractas octava , aut translatas ; adeout etiam ſi prius aut poſterius celebretur , e. g. , Paſcha tamen , ſemper & abſque exceptione a Completorio Purificationis die ſecunda Februarii incluſivè etiam ſi feſtum illud transferatur vel alicubi ſit cum octava uſque ad feriam quintam in Cœna Domini excluſivè dicenda ſit Antiphona *Ave Regina Cœlorum*. Ergo ſemper ad illud Completorium ad formam prælaudatæ Breviarii Romani Rubricæ omittenda eſt Antiphona *Alma Redemptoris Mater* , & loco ipſius aſſumenda eſt alia *Ave Regina Cœlorum*. Durus eſt hic ſermo ? En in promptu Decretum authenticum Sacræ Congregationis Rituum de die 27. Julii 1624. contrarium opinioni Gavanti . *Rubricæ de* Ave Regina Cœlorum , *additum eſt*

ly

ly incluſivè ; ideoque in fine Completorii diei ſecundæ Februarii , omiſſâ Antiphonâ finali, Alma Redemptoris Mater, *dicenda eſt Antiphona* : Ave Regina cœlorum. Revertamur ad locum unde diſceſſimus. Antiphona *Regina cœli* totum implet tempus Paſchale ; a Sabbato Sancto videlicet poſt Veſperas incluſivè, uſque ad Sabbatum poſt Pentecoſten poſt Nonam, & non amplius ; quia illud ſolum verè eſt tempus Paſchale. Adventus tamen, quamvis incipere poſſit, aut penultima aut ultimo die Novembris, vel etiam Kalendis, aut altera die poſt Kalendas Decembris ; nihilo tamen minus a primis Veſperis Trinitatis uſque ad Nonam Sabbati ante primam Dominicam Adventus dicitur Antiphona *Salve Regina* : & ratio hujus rei eſt, quia ea totum illud tempus implere debet, quod a primis Veſperis illius feſti incipit, & uſque ad Nonam ejus Sab-

bati

bati intercedit, quod eſt ante primam Dominicam Adventus.

Ut vero facilius ad dubii ſolutionem deveniamus, & ut palam fiat, Antiphonas finales Beatæ Mariæ Virginis non reſpicere directè feſta in quibus illæ ceſſare debent, & aliæ Antiphonæ aſſumi, ſed tendere eas tantummodo ad implendum tempus illud, quod inter utramque earum intercedit, abſque temporis ejuſdem prorogatione, aut reſtrictione, ſed taxative ad diem, quo illæ ceſſare deberent: repetatur concinne Rubrica Breviarii Romani poſt Completorium. *A Veſperis Sabbati ante Dominicam Adventus uſque ad Purificationem incluſivè dicitur Antiphona* Alma Redemptoris &c. Poſt Purificationem, ideſt a fine Completorii diei ſecundæ Februarii incluſivè, etiam quando feſtum Purificationis Beatæ Mariæ Virginis transfertur, uſque ad Feriam quintam in Cœna Domini excluſivè

ſivè dicitur Antiphona *Ave Regina cœlorum*.

Ex dictis iterum deduco & argumentor; eam Antiphonam *Alma Redemptoris Mater*, die ſecunda Februarii ceſſare debere, nec attendendum eſſe an Purificationis Feſtum transferatur nec ne, vel an Purificationis Feſtum alicubi cum Octava celebretur, & id ſane per ea quæ ſuperius ſancita ſunt & decreta. Enim verò etiam in tali caſu prædicta Antiphona dici debet uſque ad Completorium ejus diei, quo ſuapte natura ceſſare debebat; nempe eo die, quo celebrandum erat Feſtum Purificationis non attendentes ullo modo, in quem diem Feſtum illud transferatur, vel ſi alicubi, quà in Diœceſi vel Provincia cum Octava celebretur. En Decretum prælaudatæ Sacræ Congregationis Rituum de die 11. Januarii 1681. hujuſmodi tenoris: *Licet transferatur feſtum Purificatio-*

nis Beatæ Mariæ Virginis attamen Ave Regina cœlorum *dicenda eſt die ſecunda Februarii, poſt Completorium etiam in Eccleſiæ propria.* Sed ſic eſt, quod hujuſmodi Eccleſia tanquam de Titulari Feſtum Purificationis celebraret cum Octava; ergo ſi omittenda eſt in tali Eccleſia Antiphona *Alma Redemptoris* die ſecunda Februarii, & aſſumenda eſt Antiphona *Ave Regina cœlorum*; pari gradu, immo a fortiori etiam relinquenda eſt illa, & aſſumenda hæc prædicta Antiphona *Ave Regina cœlorum* die ſecunda ejuſdem Menſis, ubicumque Feſtum Purificationis, quocumque titulo, quolibet privilegio celebretur cum Octava. Ergo de primo ad ultimum corruit ſententia laudatiſſimi Gavanti, & nullum per conſequens erit præcitatum illud Sacræ Congregationis Decretum de anno 1606., cum illud abrogatum ſit, & ab aula receſſerit, ſtante poſteriori

pro mea ſententia Decreto , anni videlicet 1681., quod ſuperius retulimus.

Hujuſmodi rei, ni fallor, ratio eſt, quia Antiphona *Alma Redemptoris* cum ſuo verſiculo *Poſt partum &c.* dicenda eſt tantummodo & non amplius donec impleantur dies purgationis Mariæ ſecundum legem Moyſi, qui quadraginta ſolummodo fuerunt, a die videlicet vigeſima quinta Decembris, partui Virginis ſacrâ, uſque ad diem incluſivè ſecundam Februarii, quâ ut bene arridet Dionyſius Richel Doctor Ecſtaticus, & Carthuſiani Ordinis decus eximium: *Quadraginta impletis diebus a Chriſti Nativitate, in quorum ultimo Infantulus fuit, ſecundum legem Moyſi in templo præſentandus, ſeu Domino offerendus; infra quos etiam dies Mater ſecundum legem Moyſi, & ingreſſu templi abſtinuit, & quadrageſimo die templum ingrediens purificabatur;*

Ad hujus ergo Myſterii ſignificationem non debet Antiphona illa *Alma Redemptoris* diem ſecundam Februarii excedere, non ſolum quando Purificationis Feſtum in aliam diem transferatur; verum etiam quando alicubi ipſa Purificatio ſit Eccleſiæ Titularis, aut ex privilegio cum Octava celebretur. Quod ulterius etiam hac de cauſa fieri debet; ne in Antiphonis finalibus ſit diverſitas inter Eccleſias, quod quidem eveniret ſi Antiphona *Alma Redemptoris* ceſſare non deberet generaliter die ſecunda Februarii ad Completorium, & mutari in aliam *Ave Regina cœlorum*, protrahendo illam per totam Octavam, ubi vel Feſtum Purificationis eſſet Feſtum Titularis alicujus Eccleſiæ, aut eum Octava ex Privilegio vel Indulto Apoſtolico. Ad majorem hujus rei dilucidationem adducitur argumentum ex inconvenienti. Si quando Feſtum Purificatio-

nis occurrit vel Dominica Septuageſimæ: tali caſu certum eſt, & Solis luce clarius liquet transferendum eſſe in primam diem, feſto novem lectionum non impeditam. Patet etiam quod in tali caſu in dicta Eccleſia, ſi ſingulis quoque diebus, à die ſecunda Februarii qua Septuageſima occurrerit, per ſexdecim aut ſeptemdecim dies Officium eſſet de duplici vel ſemiduplici non translatis: Purificationis Feſtum in tali Eccleſia non poſſet celebrari, neque Officium de eo dici, niſi quando vel de ſimplici, vel de feria eſſet Officium: & dato quod talis dies non impeditus non occurreret niſi in Quadrageſima, peto, inquiro, ſciſcitor, an eſſet recitanda Antiphona *Alma Redemptoris Mater*, donec in tali Eccleſia de Purificatione fieret Officium? ergo per conſequens etiam in Quadrageſima; ergo etiam a die ſecunda Februarii contra ritum omnium

mnium Eccleſiarum in univerſali, uſque, v. g., ad diem vigeſimam vel aliam remotiorem ejuſdem menſis, donec de Feſto Purificationis tanquam de Feſto translato Officium fieri poſſet. Hoc inconveniens eſt; ergo & illud. Enim vero, ut ſuperius dictum eſt, Antiphona *Alma Redemptoris Mater* non reſpicit directè & taxativè Feſtum Purificationis, quo die reponatur, cum transfertur; ſed reſpicit immediatè diem ſecundam Februarii, quâ celebrandum illud Feſtum eſſet per allata ſuperius.

En Decretum Sacræ Rituum Congregationis de die 11. Januarii 1681. apud Pittonium: *Occurrente Feſto Purificationis Beatiſſimæ Mariæ Virginis in Dominicis Septuageſimæ, vel ſimilibus aliis privilegiatis, ita ut illius Officium ex hoc contingat transferri: non eſt ob id protrahenda etiam recitatio Antiphonæ* Alma

Re-

Redemptoris Mater, *ſed die ſecunda Februarii poſt Completorium, illâ dimiſsâ, ſumenda eſt Antiphona* Ave Regina Cœlorum, *ſublatoque quolibet alio difformi quarumcumque Eccleſiarum uſu ſive conſuetudine, ita ab omnibus qui Breviario Romano utuntur pariformiter ſervari mandavit Congregatio Rituum.* Notandum quod idem venit dicendum etiam ubi dictum Feſtum Purificationis habeat Octavam, quapropter quo ad hoc corruit opinio Guyeti in Heortolog. lib. 4. ſect. 3. cap. 18. quæſt. 20. pag. 490. tenentis cum Gavanto in Theſauro Sacrorum Rituum tom. 2. ſect. 5. cap. 22. ſub num. 7., quod ſi Purificatio transferatur, vel alicubi habeat Octavam protrahenda ſit dicta Antiphona *Alma Redemptoris Mater* vel uſque ad diem in qua reponitur Feſtum translatum, vel uſque ad Completorium diei Octavæ: & licet Gavantus loco citato aſſerat

ſic decreviſſe Sacram Rituum Congregationem in Officiis editis Romæ 1606. ad uſum Patrum Diſcalceatorum Carmelitarum; dicendum tamen eſt, quod poſteriora derogant anterioribus, ut in puncto de Decretis Sacræ Congregationis dicit Urſaya doctiſſimus Almæ Urbis Advocatus, Diſceptat. Eccleſiaſt. tom. 1. par. 3. Diſceptat. 14. ſub num. 82.

Reſpondent tamen ex adverſo, hujuſmodi paritatem adducendo; nempe: quod ſicut in tota Octava Confeſſorum Pontificum, & non Pontificum in Hymno dicitur: *Meruit beata ſcandere ſedes*, & quando extra propriam diem dicendum eſſet *Meruit ſupremos laudis honores*, & id ſanè quia tota Octava eſt continuatio Feſti, & reputatur idem dies Feſti; ſic a pari procedendum vellent circa Antiphonam prædictam *Alma Redemptoris Mater*, ſaltem quando celebratur die proprio cum Octava

pro-

protrahendo nempe illam per totam Octavam.

At non valet paritas, ac nullius momenti eſt. Ratio diſparitatis eſt: quia Hymnus eſt pars Officii Feſti, quod celebratur, & per conſequens ſequi debet naturam Feſti etiam in tota ejus Octavâ, quæ rigorosè ſumpta nil aliud eſt, quam proſecutio & continuatio ejuſdem Feſti, & idem pene dies. Antiphonæ verò finales Beatæ Mariæ Virginis non ſunt pars Officii, ſed Officium jam completum, vel aliquam horam ejuſdem jam abſolutam claudunt ſalutatione ejuſdem Beatæ Mariæ Virginis, ideoque Antiphonæ finales appellantur; quia quamvis Officium claudant, tamen extra Officium ſunt, & re vera quid rei Officio, v.g., S. Laurentii Martyris cum Beatæ Virginis Antiphona?

Quod non ſint pars Officii probatur, ex eo quod ſi tales eſſent: dicendæ forent etiam poſt Tertiam

in Choro decantatam, nullo oſtante quod immediatè ſequeretur Miſſa ſolemnis, quod eſt falſum. Dicuntur ergo quando Matutino, Veſperis, Completorio, vel aliquâ aliâ Horâ canonicâ jam completâ diſcedendum eſt de choro, utpote quia extra Officium ſunt. *Dicuntur tamen congruè; ne diſcedamus a choro poſt laudes Dei: non prius ſalutatâ Virgine Mariâ, per quam eſt nobis vita perdita data, & ut eam habeamus ad Dominum mediatricem, ut exaudiantur preces noſtræ, quam habuimus humani generis per Filium reparatricem*. Sic ſalvo ſemper meliori judicio reſpondendum cenſeo Excellentiſſimo Viro Jo. Paulo Gualtieri in Alma Piſarum Univerſitate Pontificii Juris Interpetri, ac Prælectori diſertiſſimo.

DUB-

DUBBIO X.

Se del luogo, che immediatamente rimane ſopra di un Oratorio privato poſſa decentemente ſervirſene il padrone di quello, per tenervi legna da fuoco, o altro a ſuo beneplacito: e ſervirſi per conſeguenza di quel luogo per magazzino o ripoſtiglio.

All' Illuſtriſs. Sig. Cav. Federigo Mercati ſuo Signore ſtimatiſſimo.

SOtto queſto nome di Oratorio, così detto dall' orare, a cui quel luogo propriamente è deſtinato, ſi vuole intendere qualunque luogo atto a farvi orazione, il quale chiccheſſia può fabbricare in caſa ſua a ſuo beneplacito; come ſi ha dal *Cap. final. de Eccleſiis ædificandis, & cap. penult. & ult. 42. diſt.* Ne' primi ſecoli della naſcente Chie-

